Ex dono

R.mi P. M. F. Jacobi Ricci Gen.lis Procur.s Ord.s Pred.rum

pro Bibliotheca Conv.s S. M. s. M. Julij 1686.

PROVENTVS
MESSIS DOMINICÆ

Fratrum Excalceatorum Ordinis Æremitarum Sancti Augustini. Congregationis Hispaniae labore perceptus.

AD

SANCTISSIMVM D. N.
ALEXANDRVM VII.


PER

P. ANDREAM DE SANCTO NICOLAO eiusdem Congregationis Excalceatorum alumnum.



ROMAE, Apud Hæredes Colinij. 1656 *Superiorum Permissu*

CVM ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & messueritis segetem, feretis Manipulos spicarum, primitias messis vestrae, ad Sacerdotem, qui eleuauit fasciculum coram Domino. Leuit. 23.



SANCTISSIMO D. N. ALEXANDRO SEPTIMO.






ON minimo pretio ſtare debet, apud inuictos, & ſupremos Principes, humilium, & pauperum obſequium, ſi exhibiti eiuſdem officij tenuitatem probus affectus cumulatè ſuperat: qui ſolus animos roborat, vires auget, & certò perſuadet, ſemet cuiuis actioni dare dignitatem, vt, ſine rubore, vbicumque poſſit comparère, abſque periculo inſidiantis infortunij. Ita ergo me ille confidenter impulit, licet ea ſit quorumcumque actuum in miſeris conditio, quæ vndique careat firmitate, & vbique illidatur offendiculis, vt ad Beatitudinis Tuæ pedes Manipulis accederem onuſtus: quos velut, ſui laboris primitias Hiſpanica Ma-

gni Parentis Augustini Excalceatorum Reformatio humiliter, ac officiosè offert, & æquè : nam quod debebat verè prætermitteret, alij quantumuis maximo perceptos consecrando fructus, qui Apostolicæ Sedis sunt iure; & ratione proprij) adhucque timerem sanè ad tantæ Maiestatis appropinquare tribunal, si meæ tenuitatis aliquid importarem: Cum autem id solum deferam, quod, tanquam receptum debitum, fore gratum, existimo: ideo eà, quà possum, summissione cordis, non Throni sublimitatem, sed sedentis benignitatem considerans, confirmato animo, messis hic fascem depono, multo sudore, à meis consodalibus collectam, & ipsorum sanguinis effusione tinctam. Placeat ergo pusilli agminis laborantis opus: dum, plusquam viribus, Catholicæ fidei propagationem procurat, & in dies, auxiliante Deo, sine intermissione exequetur.

LE-

LEGENTI.



XTITIT omnibus placère semper impossibile: aliquibus vero, tantummodo contingens. Cui ergo certè opusculum istud proponimus incauti? Nescimus. Cuicumque tamen sit meritò aduertimus, Dominicæ messis, ac etiam Hispanicæ Reformationis fasciculum (Domini quidem possessione, Reformationis vero labore) nos in lucem proferre libentissimè; non alio fine: nisi eo, quem sequi, fas est: notum, scilicet, facere nostrorum Fratrum in Propaganda Fide feruorem, & eorum, hac de causa, in ærumnis, tormentis, morteque, constantiam: vt fidelium ædificatione, magis honorificetur Deus, à quo hæc omnia bona procedunt. Hoc supposito principio, plurimi inueniendi defectus excusantur: Si ipsi etiam, cui paulo ante placuerit (vt crebrò euenit) attulerit molestiam: volumine abiecto, ipsa subito discedet: si breuitatis vero culpam attribuerit, alia quærat, quæ causent satietatem. Demum, quidquid potuimus, nos fecisse, intelligat. Si errauimus, piè nobis miseris donandum, qui, pro captu, in rem semper incidere dileximus. Decem ergo Manipulos aptauimus, qui distinctè; quamuis non seruato ordine annalium, quid ab Augustinianis Excalceatis Congregationis Hispaniæ, pro Fide, & Ecclesia Catholica, susceptum, demonstrabunt.

A P-

APPROBATIO.

NOS infrascripti Theologi à P. N. Vicario Generali F. Emmanuele de S. Augustino deputati ad approbationem huius Libri, nihil in eo contra fidem, aut bonos mores inuenimus: ideoque prælo censemus dignum. Apud SS. Ildefonsum, & Guillelmum de Vrbe.

F. Ioannes à Matre Dei. Procurator Generalis.
F. Hieronymus à Sancta Maria.
F. Bartholomæus à S. Nicolao.



LICENTIA.

F. Emmanuel de S. Augustino Vicarius Generalis Fratrum Excalceatorum Ordinis Eremitarum S.P.N. Aug. Congregationis Hispaniæ, & Indiarum. Tenore præsentium facultatem concedimus P. F. Andreæ de S. Nicolao eiusdem nostræ Congregationis Concionatori, vt seruatis seruandis, possit mandare typis Librum, cui titulus *Prouentus Messis Dominicæ*. Dat. in hoc Conuentu Matritensi S.P.N. Aug. die 19. Mensis Octob. 1652.


F. Emmanuel de S. Aug. Vic. Gen.

Loco † Sigilli.
De mandato P. N. Vicarij Gen.
F. Alfonsus de S. Magdalena Secr. Gen.

I M-

Imprimatur: Si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apostol.


M. A. Oddus Vicesgerens.




Imprimatur.

F: Dominicus Manettus Mag. Reuerendiss. Patris Raymundi Capisucchi, Sacri Palatij Apostolici Magistri Socius. Ordinis Prædicatorum.

PROTESTATIO AVTHORIS.


VM fœlicis recordationis Vrbanus PP. VIII. die 13. Martij, anno 1625. in S. Congregatione S. R. & vniuersalis Inquisitionis Decretum ediderit, idemque confirmauerit, die 5. Iulij, anno 1634. quo inhibuit imprimi Libros hominum, qui sanctitate, seu Martyrij fama celebres è vita migrauerunt, gesta, miracula, vel reuelationes, seu quæcunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta, continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarij: & quæ hactenus sine eâ impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem, die 5. Iunij 1631. ita explicuerit, vt nimirum non admittantur elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quæ cadunt super Personam: bene tamen ea, quæ cadunt supra mores, & opinionem; cum protestatione in principio, quod ijs nulla adsit authoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantum sit penes Authorem. Huic Decreto, eiusque confirmationi, & declarationi obseruantiâ, & reuerentiâ, quâ par est, insistendo, profiteor me, haud alio sensu, quidquid in hoc Libro refero, accipere, aut accipi ab vllo velle, quam quo ea solent, quæ humana duntaxat authoritate, non autem Diuina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sanctæ Sedis Apostolicæ nituntur, ijs tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes, Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit.

ECTYPVM PROOEMIALE
DE ORIGINE AVGVSTINIANAE Reformationis Excalceatorum cognomine insignitae.


MPERIVM maximum dum totus viderat Orbis, Hispaniæ Regum dum grandis nota potestas, terrarum dum plagæ quatuor eorum adorauerant solium, Philippus Secundus graue sceptrum tenebat sapiens. Ipsius vbique nomen sanam tuebatur fidem, potentia deterrebat perfidos, zelus reprimebat noxios, iustitia retinebat iura, & pietas attrahebat animos: dum in eo domicilium, & mansionem suam, matura, circumspectaque, fixerat Prudentia faustam.

Moderabatur per idem tempus Magni Augustini Patris Solis Ecclesiæ sobolem, Diuinarum rerum sciẽtià, vitæ innocentià, & morum suauitate conspicuus, à Sixto V. fœl.record. postea in Eminentissimum Cardinalatus gradum euectus, Magister Gregorius Petrochinus de Montelparo: qui sibi commissi gregis (etiam Authoritate Apostolica) peragrans Prouincias, in Matritum, Sedem Hispanorum Regum, aduentauit. Feriabatur tunc ab immensis curis, quæ diademata valde pungunt, Secundus sine primo Catholicus Philippus Rex, in valde magnifico, mirabilique, Conuentu illo Sancti Laurentij, ad maiorem Dei cultum, illius

 insi-

insignis Martyris honorem, Hispanicæ Monarchiæ gloriam, & Nationum cunctarum stuporem ab eius magnanimitate, pietateque, à fundamentis fœliciter extructo.

Ad hoc itaque admirabilium rerum nobilissimum, ac ditissimum Theatrum Gregorius celeriter tetendit, vt tanto Regi debitum obsequium exhiberet: in cuius aspectu expertus fuit beneuolentiam supremà Regiæ Maiestatis grauitate mixtam. De rebus varijs intercesserunt verba, & vltimo Philippus dixit: iam diu animo perpendisse suo, quod, ad primæuam Religionum Patrum austeriorem in dies retinendam obseruantiam, aliquas in ditione sua erigi domos, bonũ erat: vt in ipsis ad vnguem illorum sacrum Institutum impleretur: quapropter in votis sibi esse, illud in Augustiniano Ordine sic fieri, dum in alijs iam incœptum erat.

Attento animo Gregorius Regis dictum auscultauit: & obortis lachrymis, responsum Philippo dedit, nil sibi fœlicius, iucundiusue posse contingere, quam opus istud, quod multo ante meditatus fuerat, à Regià voluntate proponi, & declarari. Quibus dictis, benignè acceptus, factà reuerentià abijt, ac Curiam Matritensem redijt, vbi selectos conuocauit Patres, ipsisque propositum exposuit Regis.

Aderat ibi forte Sapientissimus illius sæculi, vir sanè eleganti ingenio, & in litteris Latinis, Græcis, & Hæbraicis versatissimus, sacrorum librorum, apud Salmâticenses, Primas, Magister Ludouicus Legionensis (qui anno millesimo, quingentesimo, sexagesimo octauo: dum ille Lusitanici Regni, ac illustris familiæ de Andràda honor, Venerabilis Pater Thomas de Iesu, eiusdem laborum tenerrimus, & dulcissimus Con-

Contemplator, ignità suà doctrinà toti Mundo notus, obseruantiæ Regularis, ac Augustiniani Ordinis zelo, strictioris vitæ Recollectorum Congregationem, fauente Henrrico Portugalliæ Infante, & Venerabili Patre Ludouico de Montoya, Visitatore, ac Reformatore Generali Prouinciæ eiusdem Regni, approbante, animo conciperet: istud erat amplexus institutum: sed paruuli ædificij progressus aliquorum calumnijs impeditus; illic nullum finem obtinuerat) & cum tempus esset opportunum promouendi, & excitandi incœptæ; & ad exitum prius non perductæ, Reformationis intentum exoptatum, Priori Generali, & Patribus conscriptis, tam sanctum, & proficuum opus, serijs verbis, prolixoque sermone persuasit. Ad Ludouici rationes, prudentià, & doctrinà suà, satis superque fundatas, incessit lætitia omnibus, ac laudatà voluntate Regis, ipsorum animus vniformiter captus est: ideoque noua Reformatio placuit, & in proximã Prouincialem Synodum negotium omne transmissum.

Voluebatur annus quingentesimus, supra millesimum, octogesimus octauus: cum Imperiali Toletanà in vrbe, Magni Augustini Patris piæ deuotioni addictà, ipsiusque apparitionum splendoribus multo magis clarà, quam nobilitate, ac potestate terrenà, Prouincię Castellæ Capitulum Prior Generalis celebrandum statuit. Forte Deus voluit; vt non solum ea ciuitas gloriosa foret Concilijs in illà actis, sed etiam Augustiniani Ordinis Reformatione sanciendà, quæ Catholicæ Ecclesiæ erat vberes fructus prolatura. Sortitus ergo fuit, die quintà Decembris, Prouincialatus munus Màgister Petrus de Roxas, Marchionum de Poza, primariæ in Hispanià nobilitatis, filius: Asturicensis postea, ac Oxomensis Præsul. His bonis au-

ſpicijs Reformationi nihil interponi potuit: itaque poſtquam de rebus ad Prouinciam ſpectantibus deſcriptum eſſet, ad cauſam illius eſt deuentum: vt Synodi memoria omni eſſet poſteritate perennis.

Senatus Patrum in vnam, eamdemque, ſuper hac re, conſpiratus voluntatem, ſummis laudibus, ea quæ Prior Generalis, ad Reformationem attinentia, propoſuit, cumulauit: eiuſque ſententià, vnanimi conſenſu, concordià, & plauſu non modico, receptà: ſimulque aſſignato Conuentu Talabricenſi, nuper tunc erecto, & valde pauperi, ideoque Reformationis principio magis commodo: Magiſter Ludouicus Legionenſis deſtinatur, vt tanquam ipſius feruidus fautor, eam viuendi formam exararet, quam primitiuo Auguſtini Patris Inſtituto iudicaret eſſe magis conſonam: à Prouinciali, & Diffinitoribus, antequam executioni per nouos Reformatos traderetur, maturo conſilio examinandam, & vnione communi confirmandam.

Peractà demum Prouinciali Toletanà Synodo, ipſius Prouinciæ Caſtellæ Superiores, quoſcumque qui vellent amplecti illam ſtrictiorem viuendi normam, inuitare, & allicere cœperunt: ſicque Talabricenſem Conuentum aſſignatum adierunt aliqui, vt in ipſo inciperent vitam illam Reformatam: degebant tamen adhuc in eo Patres illi, qui ſtrictiorem iſtam viuendi formam non acceperant, quouſque Reformatorum eſſet numerus copioſior: quapropter Reformati, & PP. Obſeruantes promiſcue, licet vnanimes, viuebant: quod cum Senatus Talabricenſis, in futurum poſſe, aliquod inconueniens generare, animaduerteret, & iam ſufficientem Reformatorum numerum videret: ad Prouincialem, ſuper hac re, epiſtolam quamdam tranſmittere decreuit: qui deuoto affectu Reformationem

tionem excrescere curabat: dum à Priore Generali, Catholici Regis votum, & quod decretum fuerat in Capitulo Toletano, exequi volente, acceperat licentiam erigendi Reformata Monasteria: de quà extat memoria in suo Registro: die vigesimà nonà Aprilis, anno millesimo, quingentesimo, octogesimo nono; scilicet. *Facultatem fecimus M. F. Petro de Roxas, vt in Prouincia nostra Castellæ, vbi ipse est Prouincialis, durante tempore sui Prouincialatus, in districtu duntaxat suæ iurisdictionis queat domos, & loca Recollectorum nostri Ordinis accipere, ac inibi nouà loca pro eis fundare, & instituere, sub potestate eiusdem Prouinciæ: ita, vt numquam possint ab ea separari, sub pæna amissionis dictorum locorum, quæ in tali casu eidem Prouinciæ incorporanda esse volumus. Priores item & communes alij Officiales semper fiant à Diffinitorio Prouinciæ, & secundum Regulam, & Constitutiones nostras, strictiori, quodam modo, semper viuere teneantur.*

Erat ergo, eo tempore, dictus Magister Petrus de Roxas Prouincialis in Conuentu Metimnæ duelli, in Castellà veteri, sui officij partes adimplendo, visitans: & dum sacrificium Christiferũ in altari Dominæ Nostræ de Pace, quodam die; perageret, sacrosanctique eiusdem Canonis mysterijs versaretur, & pro viuis cõsuetam ageret memoriam: subito apparuerunt ei splẽdores maximi, totam illam clarificantes Ecclesiam, quos ipse intẽtus, per aliquod temporis spatium, aspexit permanentes, magnà admiratione, & confusione sui.

Rei Diuinæ actione consumatà, Prouincialis manebat in sacrario, occupatus suaui silentio, & sensus omnes eius præterita visio ad se rapuerat, illiusque intelligentiam ignorabat: cum accedens eius Socius tradi-

dit

dit ei epiſtolam Senatus Talabricenſis, ſpeciali Nuncio ſuæ Paternitati miſſam: ipſiuſque iuſſu, ſignum illius rumpens, legit, & dixit, negotium eam continere, quod ipſe Senatus, Populuſque humiliter, ac comiter ſupplicabat, Conuentum in eo nobiliſſimo erectum oppido, & Reformationi nouiter erectæ deſtinatum, dignari ſuam Ruerendam Paternitatem, illam ardentiori ſpiritu amplectentibus prorſus conſignari.

His dictis, Dominus in mentem Prouincialis immiſit, ſe ſic ita velle, ſicut petebatur, fieri: viſioneque ſplendorum ſignificari, quod Reformatio ſuis fructibus, ac laboribus in Catholicà Eccleſià lucidos fulgores erat emiſſura: itaque ab illà dubitatione emergens ad cellam ſe recepit, & ad verba rapuit calamum, ac chartam, in quà, maximà vrbanitate (prout animis nobilium inſita) expreſſit, ſe Talabricenſium Optimatum voto adſtipulari: idque impleturum teſtatus, præligatam epiſtolam ipſi tabellario dedit, & quod ferret ad ipſum oppidum iuſſit. Eo dimiſſo, vt omnimodà concordià fieret, illico Patri Magiſtro Didaco de Orellana, magnæ authoritatis viro, in Conuentu Arenarum Sanctæ Mariæ del Pilàr moras agenti, confecit commiſſionem, vt præſcriptà illic ab eo die, in Talabricam proficiſceretur, ibique faſciculum litterarum obſeratum, quem illi mittebat, reſignaret, executionique in ipſo contenta ſtrictiſſime mandaret.

Diffinito tempore, Magiſter Didacus de Orellana Talabricam perueniens, & munia ſuæ commiſſionis exercens, faſciculum aperuit continentem, ſe nouos Recollectos in illius Conuentus inferre integram, & plenam poſſeſſionem, alijs; qui non Reformati erant, per alios Conuentus diſtributis: quod & re ipſa perſtitit efficaciter XIII. Kal. Nouembris, Anno milleſi-

mo,

mo, quingentesimo, octogesimo, nono. Notum istud Prouincialis mandatum, porrectâ fronte, omnes executi: mox noui Reformatores, maiori spiritus ardore, propositum incœptum perfecerunt, & se strictiori modo viuendi (quem pie, doctèque Magister Ludouicus Legionensis iam confecerat, iuxta Reuerendissimi Patris Gregorij Elparensis in Capitulo Toletano decretum: & Prior Prouincialis, ac Diffinitores: videlicet Magister Ludouicus Legionensis, P. Gabriel de Gualdaraz. P. Lucas de Medina, & P. Antonius de Arze, in Capitulo priuato, die vigesima Septembris, eodem anno millesimo, quingentesimo, octogesimo, nono, in Conuentu Dominæ nostræ del Pino celebrato, recognouerant, & approbauerant, ac proprijs ipsorũ manibus subscripserant: vt ex ipsâ formâ viuendi constat, in cuius exordio agentes de iure ad id sibi commisso, verbis expressis, ex Hispano idiomate in Latinum cõuersis, sic loquuntur. *Authoritate nobis ad hoc concessa à Reuerendissimo* Patre *Gregorio Elparensi* Priore *Generali, iuxta decretum in Capitulo Prouinciali celebrato Toleti, anno elapso millesimo, quingentesimo, octogesimo octauo, hæc, quæ sunt inferius, ordinamus)* subiecerũt: maximoque feruore illum adimplere satagentes, vili, asperoque iam induti habitu eiusdem formæ, quæ nũc est apud nos: & assumptis iam similiter sandalijs (prout in ipsa forma viuendi à Patribus, tanta pietate, doctrinaque insignitis, quanta Castellæ Prouincia semper abundauit) præscriptum, & iniunctum erat: Reformationem fœliciter, sanctèque plantarunt, eiusque primordia condiderunt, in Conuentu dicto Talabricensi, à Venerabili Patre Ildefonso de Orozco, Caroli V. Imperatoris, & Philippi II Catholici Regis Concionatore, magnæ sanctitatis viro, paulo ante erecto:

erecto: nunc vero Sanctissimi Crucifixi valde miraculosâ imagine, illustri; præcipuâ illius insignis oppidi deuotione, exculto, & Marchionum de Montes Claros munificentia, & patronatu, aucto: quem merito, tanquam primum, & angularem lapidem ædificij sui Augustiniana Excalceatorum Reformatio humiliter agnoscit.

Acceptâ ergo plenâ, & integrâ ipsius conuentus possessione, orationibus semper intenti noui Reformati, quatuor per hebdomadam diebus, pane solo, aquàque contenti, reliquis, tenui cibo recreati, victitarunt: tam arctamque clausuram obseruarunt, vt ab incolis Talabricensibus multoties iudicatum, iam penitus ab eis conuentum esse derelictum: præcipuè cum Cōuersus quidam eleemosynis quotidianis afferendis deputatus ægrotauit: (is enim solum egrediebatur foras) quo aduersâ valetudine laborante, maluerunt Eremi Augustinianæ Instauratores herbis sustentari solis, quam in minimo amicam violare solitudinem: quousque Senatus Talabricensis, cognitâ causâ maximo honore Patres illos habens, eorum deinceps liberaliter, ac pie (prout illi mos est) prouidit indigentijs.

Nomina Patrum, qui se ad Augustinianam hanc strictiorem Reformationem dedicarunt, & seueriorem hanc militiam sanctitate, aut doctrinâ, aliarumue virtutum exemplis illustrarunt, hæc sunt. Venerabilis Pater Franciscus Briones, Segouiæ, ex Parentibus Vallisoletanis natus, Conuentus Sancti Philippi Matritēsis fortunata proles, perfectæ orationis vir, & totus in Deum absorptus. Cuius corpus in Ecclesia Parochiali Nauæ Regiæ in Castella veteri depositum: post decem annos integrum, & illæsum repertum, extremâ nariū parte concussâ tantum, potius quam corruptâ: dum ad

ad nostram translatum est, quidam de populo, manum, & habitum sancti viri, quasi deosculaturus, accedens, vt pio quodam furto, sed temerario, deuotioni satisfaceret, & aliquas tanti Patris exuuias possideret, dentibus digittum abscidit, & continuo quasi de viuo corpore copiosus è vulnere sanguis emanauit. Quod ipsum corpus, post aliquos deinde annos, inter intritam calcem, in conuentu ipso, incorruptum adhuc, & tractabile, inuentum fuisse, ab oculari, & fide digno teste nos audiuimus.

Venerabilis Pater Ioannes Baptista Coronas in oppido Graus Comitatus Ripacurçiæ in Regno Aragoniæ natus: relictis sæculi vanitatibus, cælestia appetens in Conuentu Oscensi Sancti Augustini habitum induit: & dum iam Professus in Monasterio Epilæ Philosophiæ operam nauaret, in mentem ei venit ad Reformatos transmigrare: quasi audiret dicentem animæ suæ. *Transmigra in montem sicut passer*. In Conuentu ergo Cæsaraugustano, dum Priorem ageret P. Gregorius de Alarcon, postea Episcopus Hauanensis, seu Sancti Iacobi de Cuba, Excalceatæ nostræ Congregationis iugum subijt. Inde ad Conuentum Borgiæ missus, vbi tunc Hieronymus de Christo, & Michael de Bombàu sanctitate florebant: postea vero ad Bilbilitanum, in quo floruit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dedit in tempore suo. Electus in Priorem Conuentus Dominæ Nostræ Sanctorũ de Zuera obedijt, & statím cesit muneri: sed missus iubente Superiore, vt in Conuentu Cæsaraugustæ tyronnes educaret, nouem annis, id munus gessit, & plures illustres palmites Augustinianæ arbori inseruit. Factus postea Prior Matritensis, obedientia adstrictus annuit: & exinde Prouin-

ciæ Rector à D. Alexandro de Sangro Apostolico Nun cio vsque ad electionem Vicarij Generalis institutus est: sed ante illam, repetitis precibus, extorsit, potius quam obtinuit, à munere absolui. In ea Prouincialis Aragoniæ, licet renuens, & gemens, destinatur. Vix Cæsaraugustam peruenit, cum in morbum incidit, quo grauatus abijt ad cœlos, magnis relictis in terra sanctitatis indicijs. Oratione continuà, castitate Angelicà, pœnitentia admirabili, contemplatione, & meditatione cœlesti, humilitate excelsa, obedientià cœcà, & alijs virtutibus (quas cœlitibus notas oculis hominum; ne fascinarentur, & perirent, sedulus occultabat) supra modum diues, cœli diuitias æternas comparauit. Magnis à Deo consolationibus recreatum ferunt: & in oratione non semel visum à Fratribus Sydereo splendore coruscantem.

Venerabilis Pater Ioannes de Castro vrbis, & Conuent us Toletani alumnus, celebris suo tempore Declamator: qui cum esset vnus ex primis, qui in Conuentu Talabricensi Reformationem inchoarunt, ipsamque suis virtutibus, & exemplis decorarunt: dum iam ad RR. PP. de Obseruantia remeasset, ex Priore Salmanticensis Domus Archiepiscopus Sanctæ Fidei, in Nouo Regno Granatensi, destinatus est. Sed post consecrationem, mox renuntiato Præsulatu, & Regius Prædicator electus, Matriti mansit in Conuentu Sancti Philippi, vbi cum non exiguà sanctitatis opinione ad superos abijt.

Venerabilis Pater Andreas de Canouas, siue de Sancto Nicolao, Apostolicus sane vir, qui dum zelo animarum allectus, Insulas Philippinas tenderet, iam portum terrenum accessurus, magnis relictis sanctitatis in dicijs, ad cœlestem fœliciter peruenit.

Ve-

Venerabilis Pater Iosephus de Parada (qui fuit etiã è primis, in Talabricensi Domo, strictiorem Reformationem amplexantibus) insignis viri illius Magistri Thomæ de Herrera testimonio clarus, patria Salmanticensis, & eiusdem vrbis cœnobij filius, magnarum virtutum splendore illustris, igneà charitate in pauperes ardens: ingens eius fuit humilitas, assidua oratio, indefessa chori assistentia, domi clausura fere perpetua, & à tyrocinnio, vsque ad obitum, series vitæ exẽplaris, quà nouam Reformationem valde ædificauit: quousque, dum in Conuentu Nauæ Regiæ degeret, defectu potius valetudinis, quam voluntatis manendi inter Excalceatos, ad RR. PP. Calceatos redijt, vbi in própria Salmãticensi Domo, fœliciter migrauit è vita.

Venerabilis Pater Michael Bombàu, siue de Sancta Marià, (quem validum corporis domitorem appellant) Cesaraugustanus, Religione, & virtutibus clarus. In prima expeditione Fratrum nostrorum ad Philippinas Insulas contendens: dum in oppido de Mariuelez Euangelium prædicaret: multaque mala, & incommoda ob eam causam passus esset, ærumnis confectus obdormiuit in Domino.

Venerabilis Pater Gregorius de Ayala, genere nobilis, nouam Excalceatorum Reformationem amplexatus, postquam inter Calceatos egisset Aragoniæ Prouincialem; vtrobique humilitatis, & sanctitatis manifestum specimen dedit. Totus orationi, & meditationi diuinorum, totus prædicationi, & studio sacrarum litterarum intentus: ieiunijs, & pœnitentijs corpus, & exercebat, & domabat. Cilicio ferreo ad nudam carnem, vsque ad mortem affixo, potius quam apposito, in certaminibus castitatis victor euasit, &

triumphator. Demum cum esset Cęsaraugustanus Prior cum opinione sanctitatis piam animam exhalauit. Morte præoccupatum pro ingenti copià lachrymarũ efusà, & doloris excessu, quo paulo ante mortem, ægritudine languens, in confessione generali maculas vitæ præteritæ deplorauit, & planxit, Medici affirmarunt.

Venerabilis Pater Franciscus de Bombàu, siue de Sanctis, Cæsaraugustanus, ex repetita, eodem die, magno cum feruore spiritus, Passionis Dominicæ prædicatione, Bilbili, vitæ, & laboribus imposuit finem. Ea autem erat omnium de eius sanctimonià existimatio, quod Basilicæ Marianæ Canonici corpus exanime pro ingenti dono petentes, illud, in templo suo, terræ commendarint.

Venerabilis Pater Rodericus de Ayala Burghensis, spreto maioratu, ad paupertatem, & humilitatem Ereniticam Excalceatorum aduolauit, vt nudus Christum nudum, & crucifixum sequeretur. Semper disseminauit verbum Dei, magno cum spiritu: & tempore pestis, charitate flagrans magnam infirmis opem tulit, corporalia, & spiritualia medicamina ministrans. Eximià puritate, pœnitentià, & oratione clarus effulsit, & in Conuentu Cæsaraugustano, ex valle lachrymarum ad montem immortalis gaudij cum magno sanctitatis odore migrauit.

Venerabilis Pater Hieronymus de Christo, litteris, prædicatione, & virtutibus clarus, filius Prouinciæ Aragoniæ: dum ad Philippinas animarum zelo transfretasset, & sedulus multam messem collegisset, Bolinài terrena deseruit.

Venerabilis Pater Ioannes de Burgos, qui verbum Dei vsque ad vltimam ægritudinem imprætermisse, &

ala-

alacriter prædicauit. Corpus quod ieiunijs, disciplinis, cilicijs, & continuis mortificationibus domuerat, vt spiritui subesset, visum fuit incorruptum in Conuentu Fontis Sancti de Portillo.

Venerabilis Pater Alphonsus ab Annuntiatione, Ampudiæ natus, humilitate, abstinentià, & vigilijs valde insignis. Discordias Ciuium siue nobilium Talabricensium, in dies nimis progredientes, tanquam Angelus pacis, fœliciter sedauit: tandem meritis clarus, Portilli obdormiuit in Domino.

Venerabilis Pater Alphonsus de Castro Ocanniensis, vnus è primis in Talabricensi Conuentu nouam Reformationem amplectentibus: fuit equidem multis virtutibus insignitus, quibus cum inter Excalceatos maxime lucèret, præcipuè charitate in pauperes, quorum multos Portilli, tempore famis animosà fide sustentauit: renuens potius, quam libens ad RR. PP. Calceatos redijt, inter quos Vallisoleti, magnum relinquens odorem sanctitatis, discessit è vita.

Venerabilis Pater Didacus de Montoya, Venerandi Ludouici de Montoya ex fratre nepos, post varios casus, durosque pro Catholica fide in Anglia labores exantlatos, in nouam Reformationem se recepit: vbi plurimis virtutibus refulgens, tenerrimis amoris nominis Iesu exercitijs iucunditer immersus: dum Cœnobij Matritensis esset Prior, ad cœlestem patriam aduolauit.

Venerabilis Pater Franciscus Fragoso Toletanus, qui inter Excalceatos, dum optimum virtutum odorē emisisset, & quadam die de extremo die iudicij cum quodam spirituali viro longissimum sermonem protraxisset, tanto timore peccatorum, & Iudicis venturi timore fuit correptus: vt ad cellam se recipiens, &

san-

sanctissimi Crucifixi imaginem accipiens, contritionisque actus agens ardentissimos, statim, præ dolore, cunctorum fratrum admiratione, terrestrem habitationem, Matriti; non Vallisoleti, vt liber professionum Conuentus Sancti Philippi attestatur, dereliquerit.

Venerabilis Pater Franciscus de Tapia, qui in Conuentu Talabricensi, mirificis Religiosæ vitæ propositis exemplis, præmia accepturus æterna, ex hac vita migrauit temporali.

Venerabilis Pater Alphonsus Nauarro, qui cum de ipsius inculpabili vita esset apud omnes magna existimatio, Matriti in Domino sanctissime quieuit.

Venerabilis Pater Andreas Diaz, cuius memoria in benedictione est, propter RR. PP. Excalceatorum Italiæ Religiosissimam erectam à se Congregationem: quam cum iam Neapoli in Conuentu Sanctæ Mariæ de Oliua plantauisset, & Vicarium Generalem Congregationis Centum vrbium in Sicilia egisset, dum ad propria remeabat, Tarracone mortuus est.

Hi sunt qui ex RR.PP. de Obseruãtia inter Excalceatos virtutibus, & exemplis coruscarunt: qui Reformationem Religioso zelo decorarunt: qui tanquam Aquilæ grandis: scilicet Sanctissimi Augustini Parentis, veri, & generosi filij, intentis oculis, radios splendidissimæ eius Regulæ aspicientes, ipsius penetrarunt intima, vt genuinam originem probarent. Hi strictiorem hanc Reformationem, fidelium ædificatione, propagarunt: suàque authoritate, copioso alumnorum numero, firmarunt. Quorum omnium plurima præclara gesta, quæ nunc in cinere conduntur obliuionis, in lucem, longè, latèque, proferenda esse, in Domino speramus. Sin vero, supererit, commune Augustiniano Ordini solatium; quod ipsa, in cœlis, æternitatis exa-

exarata libro, temporalibus hominum, in terris, non egent testimonijs.

Eos quoque comitati fuere alij ex *RR. PP.* ipsis de Obsernantia: scilicet. P. Gregorius de Alarcon, virtutis amatorum fautor, & amator, qui naufraganti Reformationis nauiculæ non modico adiumento fuit. Demum electus Episcopus Cacerensis, deindeque Hauanensis, siue Sancti Iacobi de Cuba: dum iam prope portum illius ciuitatis esset, quadam remouente procellà, ad ipsum appellere non potens, ante quam descenderet de naui, ægritudine confectus, in mari huius vitæ mortalis fluctus, supremum gerens diem, euitauit.

Pater Hieronymus de Saona, quondam in Academia *Barchinonensi* primarius Theologiæ Professor, qui Hierarchiam mysticam, & Tractatum de excellentia Sanctorum Petri, & Ioannis prælo dedit. Pater Iosephus de *Pastrana*, qui, super sacram Eucharistiam, quædam in lucem edidit opuscula. Pater Eusebius de Herrera, qui Decisiones morales typis tradidit. Pater Ioannes de Vera. Pater Gabriel Hurtado. Pater Balthasar Martel, ab aliquibus Hieronymus appellatus per errorem. Pater Martinus de Aguero. Pater Ioannes del Castillo. Pater Ioannes Hurtado. Pater Petrus de Herrera. Pater Ioannes de Pamplona. Pater Garsia de Prado. Pater Hieronymus de Arguello. Pater Benedictus Caldera, & multi alij scientia, ac religiosà obseruantià præditi, qui ad inceptum istud opus perficiendum conuolarunt.

Nec virorum solum, sed fœminarum etiam Reformatio in Hispanià pullulauit. Venerandus enim Pater Ildefonsus de Orozco, virginitate, humilitate, scriptis, pœnitentià, misericordià in pauperes, & oratione celebris

lebris, (allectâ ad religiosam vitam D. Prudentiâ Grillo, quæ ipsi propriam domum Matriti in viâ Principis donauit, vt nouum erigeret cœnobium: quod fœlix dedit exordium tam sancto, ac laudabili Excalceatarum Augustiniensium Monialium Instituto) facultatem concedente, die sexta Septembris, anno millesimo, quingentesimo, octogesimo, nono, Magistro Petro de Roxas, Castellæ Prouinciali, huius ædificij fundamenta iecit, die vigesimâ quartâ mensis Decembris, eiusdem anni: cum prima illius esset Informatrix D. Ioanna Velasquez, filia Monasterij Abulensis Sanctæ Mariæ de Gratiâ, in quo Sancta Mater Theresia de Iesu, Carmeli columna, adhuc Virgo sæcularis, fuit moribus sanctissimis instructa. Postea ædes illa pietate D.D. Margaritæ ab Austriâ Hispaniarum Reginæ in commodiorem locum translata, & Infantæ D. Elisabeth Claræ Eugeniæ Patronâtu illustris, tam têporalibus, quam spiritualibus, maximis resplendet incrementis.

Vt plantula Monialium Reformatarum radices ageret profundas, ac in dies feruore, & sanctimoniâ cresceret: Mulierem fortem, egregiam, illustrem, virtutibusque magnis insignitam, Matrem Marianam de Sancto Iosepho Dominus Deus, suo alto consilio, illi nutriendæ, exaltandæ, & propagandæ, misericorditer, & largiter, prouidit: quæ Albæ, in Castella veteri, nobilibus orta parentibus, & conuentu Ciuitatensi Ordinis Augustiniani à pueritiâ educata, ibidem habitum induit Eremiticum: & magno bono Regularis vitæ, professionem emisit, ac de virtute in virtutem montem perfectionis attigit. Deinde cum strictioris vitæ normam exoptaret, & de licentiâ Prouincialis ad cœnobium Matritense, à Venerabili Patre Ildefonso

fonſo de Orozco nouiter erectum, pergere curaret, executioni deſtitit mandare, Sororis eius etiam Monialis, aduersà valetudine laborantis, precibus detenta.

Interea, dum quadam die Libros B. Thereſiæ de Ieſu deuotè euolueret, & relatione Abulenſis Cœnobij verſaretur, intellectuali didicit viſione, ſe etiam exituram illà domo, vt alias erigeret de nouo: in quibus perfecta Diuini cultus maximè floreret obſeruantia. Suggeſtionem Dæmonis eſſe humilis Mariana credidit, & abiecto volumine, Crucis ſe ſigno muniuit. Aliquibus poſt hæc tranſactis diebus, dum iam immemor viſionis eſſet, & B. Thereſiæ libros iterum ipſam relegere iubaſſet: en idem, quod antea ſenſerat, experta fuit intenſius, & ſimili turbatione excidit (licet magnà fiduciâ interius roborata) nam vndique ad id latebat aditus.

Multis ſubinde Sponſi Mariana afficitur fauoribus: & cum munere Priorillæ iam abiret, de præcedentibuſque minus cogitaret: Venerabilis Pater Magiſter Auguſtinus Antolinez, notæ ſanctitatis vir (qui in Salmaticenſi Academia primarius Profeſſor Theologiæ, & Caſtellæ tunc erat Prouincialis, poſtea vero Epiſcopus Ciuitatenſis, Archiepiſcopus deinde Tarraconenſis electus, demum que Sancti Iacobi in Compoſtella factus, dum oues ſuas verbo, & exemplo mirificè regebat, magno totius Hiſpaniæ dolore euolauit ad ſuperos) Eibarenſem ipſi propoſuit fundationem, in qua Magni Parentis Auguſtini Regulam exactiſſime volebat obſeruari.

Exultauit Marianæ ſpiritus, agnoſcens voluntatem Prouincialis, Auguſtinianam Regulam perfectè exoptantis adimpleri: ſed ab antiquo iam erat aliena deſi-

derio; præteritarum visionum non recordans; nec adire ad illam cōstruendam Coloniam antumabat. Tunc Prouincialis eam, ad ipsum opus, sibi in animo posuisse eligere explicauit: quo audito, Mariana oculos, per quamdam vicinam fenestram ad cœlum subleuando, illinc sagittam, siue spiculum sibi immissum esse, traiecisseque cor eius, iudicauit. Nouo ictu, nouoque fauore, velut è profundo somno, fœmina virilis excitata, occasionem sibi datam esse nouit, in quà pristinum Reformatæ vitæ ineundæ votum cumularet: itaque, fluentibus lachrymis, humiliter respondit Prouinciali, quod si se idoneam ad id opus peragēdum reperiebat, faceret libenter, quod volebat.

Quamquam hæc à Prouinciali secreto gerebantur, iam rumore, famāque serpebat, Marianam è Ciuitatensi extrahendam Monasterio, vt aliud in Cantabriâ erigeret: quapropter, omnibus vijs, Moniales id satagunt resistere; abire que neutiquam permittunt, quam meritò, multis de causis, diligebant. Non modica fuit huiusmodi tentatio ingenuæ Marianę voluntati: dum in amoris signum; ne à suo discederet consortio, decertantes sodales aspiciebat: difficultatibus alijs etiam occurrentibus, quæ illam ab intento proposito euellebant. Dominus autem, qui incœperat opus bonum, perficere dignatus est: nam cum quadā diè, quæ Dominica Palmarum erat, dum Passio Domini Nostri Iesu Christi, in Diuinis officijs caneretur, & ad illa verba ventum esset, quę Discipulis suis ipse dixit: scilicet: *Surgite eamus*: eum ad illam accessisse, & arrepta eius manu, spiritus lætitia magnâ, ipsa verba sibi dixisse, visum est: & animum ingentem ad labores perferendos impressisse, ad hilariter relinquendam illam domum: nam voluntas eius, ita erat. Super-

per-

peraddito fauore isto, intellexit deuota Mariana, quomodo ipse Dominus adijsset, magna liberalitate, sanguinem pro nobis daturus, atque vitam: itaque tædium illud expellere curabat, quo hucusque in illo opere segnis laborarat. Videbatur etiam sibi, suas Dominum moras increpare, & omnem eius auferre diffidentiam, per illa, quæ Discipulis verba pronuntiauit. *Quando misi vos sine sacculo, & perà, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis?*

Ita Dominus Deus inuictam Marianam disponebat, vt prudentium Virginum lucidissimi exercitus Ductricem efficeret, & Matrem. Itaque adiunctis Eleonora ab Incarnatione eiusdem Conuentus Ciuitatensis Sãctæ Crucis: & Maria de Iesu, Constantiaque de Sancto Paulo, Sanctæ Vrsulæ Cœnobij Toletani alumnis, hoc opus ei commisit adimplendum, quod, sublimi nunc fastigio perfectionis, refulgens in Ecclesiâ militanti, Augustiniani Ordinis maximè adauget gloriam, & decorem.

Conuentus Eibarensis Marianæ, & Sororibus eius data fuit possessio, die octaua mensis Maij, quæ fuit Ascensionis Domini, anno millesimo sexcentesimo, tertio. Ibi Angelicam velut vitam incœperunt agere, non modico rigore pœnitentiæ, quæ mulierum tenerarum vires excedebat: cooperante gratiâ Dei, qui infirma Mundi eligit, vt confundat fortia: & delicatarum fœminarum obijcit feruorem, vt segnium virorum increpet torporem.

Fundatâ benè supra firmam virtutum petram Eibarensi Domo, super pinnacula sanctitatis effulserunt, Mariana de Fide, Salmaticensis, plurimis Diuinis fauoribus ornata: in cuius corde suæ Passionis insignia Dominum Iesum in quadam extasi, fertur impressisse.

Magdalena de sancto Augustino, feruido sui cœlestis Sponsi honoris,& peccatorum conuersionis zelo prædita: & Ioanna de sancto Nicolao, humilitate (quæ gratiæ receptaculum est, vt inquit D. Bernardus) obedientià, admirabili pœnitentià, alijsque virtutibus illustris.

Bonus Marianæ odor, & similiter suarum consodalium iam per Hispaniam cœperat diffundi: cum extrahitur ad coloniam fundandã Metimnensem: vbi plurimis laboribus probata, magnam fortitudinis suæ exhibuit euidentiam. Deinde ad Vallisoletanam: in qua inter delicias cœlestes, & teneros Sponsi amplexus, Confessarij speciali præcepto, Cantica Canticorum, in sensu mystico, mirificè explanauit (quæ partim inuenta, ad fidelium ædificationem Ludouicus Muños in calce illius vitæ, Matriti, typis edere curauit) Postea ad Palentinam erigendam adijt. Demum Serenissimà Reginà D. Margarità ab Austria Philippi III. Pij, & Catholici Regis pijssima vxore, insigni pietate, non minorique magnificentia, Incarnationis Matritense Cœnobium, intra Regium Palatium extruente, Mariana æque pariter eligitur, vt super eius humeros firmiter tanta moles requiesceret.

Ibi ingenuarum Virginum, præcipuæ nobilitatis Hispanæ, strictioris obseruantiæ Mater: cum iam Reformati Instituti non minima vidisset incrementa, tam meritis, quam annis plena, integro aspectu, veluti si in extasi esset iucundissima, ad sponsi perennem ascendit societatem. Die decima quinta Aprilis. Anno millesimo, sexcentesimo, trigesimo, octauo, Aetatis suæ LXX.

Quisquis ades tumulo Marianæ, siste parumper,
Et nosces, quantis digna sit ipsa coronis:

Hæc

Hæc Mater Matrum Sponsi zelauit honorem.
Hæc prudens, fortis, sobria, iusta fuit.

Iacet in Ipso Incarnationis Regali Ginecæo, quod tam sæculi, quam cœli abundat opibus, & nulli totius Orbis, Diuino peragendo cultu, Altarium nitore, ac Regulari Disciplina, cedit: cui imbelles puellæ sub seueriori Magni Parentis Augustini Reformatione humiliter subduntur. Inter quas nunc, idem amplectens Institutum, Serenissima Philippi IV. Magni, Pij, & Catholici Regis filia, sub rudi, vilique Eremitarum habitu, permanet augustior, & splendidior; quam si in aureis, pretiosis, Regijsque delicijs habitaret.

Hæc Augustiniensium Monialium Excalceatarum in Hispania fœlix est origo (qua progrediente in amœnissimo Ecclesiæ viridario, candidissima virginitatis lilia splenduerunt) sicut illa, quam leuiter supra descripsimus, est Fratrum: qui fructus non paucos proferentes, & primo sub obedientia Prouincialis Castellæ RR. PP. de Obseruantia (de cuius corpore omnes pene Reformationis Excalceatæ Plantatores erant) viuentes aliquandiu, postea Prouinciam habuerunt ab illa separatam. Demum post varios casus, per totque discrimina rerum, ipsa Prouincia in Congregationem, quatuor Prouincias continentem: scilicet Castellæ, Aragoniæ, Bœticæ, & Philippinarum, quibus adiunctus deinde Vicariatus Terræ Firmæ, fuit erecta. Authorem, Erectoremque nullum agnoscit, nisi Augustini Patris Eremiticum ipsummet illustrem Ordinem, cuius indiuisibile membrum, & germen est proprissimũ. Se Nutricem, ac Magistram habuisse ipsam Castellæ RR. PP. Obseruantium Prouinciam, gloriatur; quam sicuti Religionis, scientiæ, nobilitatis, & prudentiæ

specu-



ſpeculum, ac opulentiſſimum ærarium, humiliter reuera veneratur, & filiali, prout decet, complectitur amore.

Congregatio Italiæ ſuæ poteſtati ſubijcit Prouinciã Romanam, Ianuenſem, Neapolitanam, Siculam, & Theutonicam. Illius Incœptor Pater Andreas Diaz, qui eorum numero Patrum, in Hiſpania nouam Reformationem amplexantium, ſe deuotus adiunxit: & anno milleſimo, quingenteſimo, nonageſimo ſecundo, Mediterraneo mari ſe commiſit, vt in Italiam nouam propaginem, & Auguſtinianam Reformationem adduceret, quam in Conuentu S. Mariæ de Oliuà, extra Neapolim, primo plantauit. Sequenti vero anno, Vicarius Generalis Congregationis Centum vrbium in Sicilia electus, à Reuerendiſſimo Patre Andrea Fiziuano totius Ordinis capite, Prælaturam acceptare cogitur.

Succeſſit illi in iſtius plantulæ directione, Pater Ambroſius Staibanus, Templi Eremitani Author, & vrbis Tarentinæ alumnus, qui in Conuentu Generali Neapolitano Sancti Auguſtini optimis litteris, ac prædicatione florebat, cum obſeruantiæ cupidus, ab ipſo Patre Andrea Diaz in Recollectionis cœtum fuerat cooptatus: ſed in incœpto opere deficiens, & ab illo ſimiliter digrediens, quod ædificabat, noluit conſumare.

Aduerſus ſanè caſus Reformationis propoſito; niſi Deus, cui ſuper eã beneplacitum erat, Andream à Sancto Iob Conſeruatorem illi ſuppeditaret: qui pene omnibus ad priora caſtra regreſſis, multis laboribus, ac inſectationibus vexatus, nouellum germen ab innumeris procellis incolume cuſtodiuit: conuocato ſibi in auxilium Patre Auguſtino Maria, Sauonenſi, Congre-

gationis



gationis Lombardiæ nostri Ordinis alumno, qui officio Procuratoris Generalis eiusdem functus fuerat, & spiritus ardore, virtutibus inhians, vt arctioris vitæ iniret rationem RR. PP. Chartusiensium in Conuentu Neapolitano Sancti Martini, sacrum, ac laudabile susceperat Institutum: premente vero graui corporis infirmitate, de consilio Medicorum, non sine dolore Chartusiensis familiæ, quæ ingenuas animi virtutes, & optimam indolem in Augustino cognouerat, ab ea, decem transactis mensibus, discesserat: & citò conualescens in Conuentũ Sanctæ Mariæ de Oliuà se receperat, strictam viuendi formam secuturus.

(Huius Patris Augustini Mariæ beneplacito: ob sibi (vt inquiunt) imaginem quamdam antiquam Sanctissimi Prothoparentis Augustini ab Illustrissimo tunc Apostolici Sacrarij Præfecto, forte Augustino Fiuizano, demonstratam: rotundo caputio, quod Pater Andreas Diaz, tanquam vnus è nostris Hispanis gestauerat, reiecto: PP. istius obseruantissimæ Congregationis (ex quibus transijt ad RR. PP. Galliæ) acutum assumpserunt: quod quidem duplicem eam litem (Proh dolor) excitauit: primam cum RR. PP. Capuccinis clarissimi Ordinis Minorum, circa illius gestationem, similem illi, quæ olim exorta inter ipsum met florentissimum ordinem, & Eremitas Beati Ioannis Boni, tempore Gregorij IX. prorsus iam sopita fuerat: secundam vero cum nostris Venerabilibus Patribus Conuentualibus circa picturas Sanctorum Ordinis. Quà mediante controuersià, propositâ causâ summè leui, ansam arripuit R.P. Carolus Moreau, Communitatis Bituricensis alumnus, vt humilem, genuinamque Magni Parentis Augustini Excalceatorum prolem, amarissimo Apologetico, ac repetitis acerri-

mis

mis vindicijs, impugnaret; & non solum in caputium, aliaque habitus accidentia, sed in excalceaturam etiã, omni tempore in Catholica Ecclesia valde commendatam, & à multis sæpè in Eremitico ordine vsitatam, rigidè, ac plus iusto, desœuiret.)

Ingruebat adhuc turbulentum tempus, cum Clemens VIII. Pontifex Maximus, qui nouam Reformationem suaui prosequebatur amore R.P.Petrum à Matre Dei Carmelitam Excalceatum Hispanum, suę Beatitudinis audiendis confessionibus destinatum, eximium verbi Dei Præconem, ac maximà obseruantià Regulari instructum, Auctoritate Apostolicà, Superintendentem, Tutelarem, ac quasi Protectorem, huic solum Italicæ Congregationi præposuit, anno millesimo, quingentesimo, nonagesimo, nono: cuius patrocinij exercitatione, & vsu, per octo annos, ipsa non minimum spirituale sensit incrementum: paucis tamen retenta domicilijs. Postquam vero idem vitæ pẽsum soluit, excreuit breuiter in gentem magnam, & extruens, quàm plures obseruantiæ rigidioris officinas, per totam Italiam, celebre nomen acquisiuit: ac in dies, dante Deo, dilatatur: præcipuè in Imperio Germanico, vbi Religiosissimi viri insignia virtutum omnibus populis proponunt documenta. Quo factum est, vt à multis Principibus expetitis, ipse etiam Ferdinandus III. Inuictissimus Imperator, Viennæ Monasterium, eis, intrà Palatium Cæsareum, assignauerit, & sua præsentià, amplissimo honore, frequenter illustrauerit.

Congregatio Galliæ in Prouinciam Parisiensem, Delphinatus, & Prouinciæ tripartita, Erectorem habuit Venerabilem Patrẽ Matthæum à Sancta Francisca, Conuentus Virodunensis filium, verbi Dei celeberri-

berri-

berrimum Concionatorem, qui ſtrictioris vitæ deſiderio, primò, ad RR. PP. Capuccinos tranſijt, ſed poſtea ſuo reclamante Prouinciali remeauit ad propria: vnde audita noua Reformatione, in Romam aduentauit, ac in Conuentu Sancti Pauli de Regula (qui tunc noſtrorum erat Excalceatorum) benigne acceptus, multis virtutibus coruſcauit. Tunc à Clemente VIII. Pontifice Maximo, ad inſtantiam Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Ebredunenſis in Galliam amandatus, vt ſtrictiorem illam Reformationem aſportaret: Conuentum Sancti Auguſtini Villaris benedicti Canonicorum Regularium in Delphinatu, ipſe Summus Pontifex, in poſſeſſionem illi dari, præcepit: vbi anno milleſimo, quingenteſimo, nonageſimo, ſexto, prima Inſtaurationis fundamenta iecit, quæ per Gallias, decurſu temporis diffuſſa, virtutum eximia dat exempla: quarum odore allectus Chriſtianiſſimns Rex Ludouicus XIII. Pariſijs, fundato Monaſterio, Beatiſſimæ Virgini Mariæ de Victorijs conſecrato, in gratiarum actionem, ob debellatam Rupellam, illud Reformatis ipſis Excalceatis poſſidendum tradidit, ac maximis priuilegijs, & gratijs decorauit. In hoc Conuentu fertur, fuiſſe cuidam Fratri, ſeu Conuerſo, reuelatam Delphinis Ludouici XIV. nunc regnantis natiuitatem futuram: ideoque in æternum pietatis monumentum ab hoc ipſo Chriſtianiſſimo Rege aliud erectum eſſe Monaſterium Sancti Germani in nemore, vulgo, *Les Loges*. Dominę Noſtræ de Gratijs dicatum. Vltimo Congregatio hæc ad Barbaricam nationem præteruecta, prope Hipponem, Coloniam inſtituit, ſub auſpicijs Chriſtianiſſimi Regis: ibique natale ſolum, & patrios Auguſtiniani Ordinis lares recuperare ſatagit, & tenebras illius gentis fugare non deſiſtit. Vtinam

D Ere-

Eremitarum Religio, Solis Ecclesiæ Soboles, maiora quotidie experiatur incrementa, & fidelium ædificatione, pristinum retinens feruorem, & decorem, omnibus benedictionibus repleatur.

Ordo vetus nouiter proprio fundamine surgit,
Et semet renouans funditus auget opus.
Ipse ferens fructus, nunc æque ditat Olimpum.
Augustine tibi crescat vbique decus.



M A-

MANIPVLVS PRIMVS.

Expeditionem Fratrum, Catholici Regis iussu, in Philippinas Insulas, & eorum in Regione de Zambales, ac Tugui praedicationem continet.

Venient cũ exultatione portantes Manipulos suos Ps. 125.



IRCVMAGEBATVR ab alti Augustini, maioris Luminaris, ortu; qui licet, in principio, tenebris errorum fuit obductus: posteà tamen toti Mũdo extitit clarissimus, cũ ipsum ab hæresum nebulis in Catholicam lucem vindicauit; annus millesimus, ducentesimus, quinquagesimus, primus. Ab eiusdem (rubiginem natiui sceleris mundificantibus vndis) immersione, quæ fuit Angelis gaudium, & hominibus: millesimus, ducentesimus, decimus, octauus. Ab Eremitici illius Ordinis exordio, qui tot Heroes Cœlo, & Mundo, peperit, & vsque in finem producere, dante Deo, non cessabit: millesimus, ducentesimus, decimus, quartus. Ab ipsius fructuosæ palmæ, iniuriâ temporum, in varios ramos diuisæ, generali vnione, trecentesimus, quadragesimus, nonus: dum Paulus V. Pontifex Maximus claues tenebat Petri, & Philippus III. cognomento Pius ad Hispaniæ sedebat gubernacula. Annus ergo erat à Natiuitate Christi millesimus, sexcentesimus, quintus, nostræ Reformationis faustus, ob egregium susci-

piendum munus debellandi potentias Diaboli, & initiandi Catholicæ myſterijs fidei, veri Numinis, & luminis gentes multas claritate carentes. Aeſtuabat puſillus grex, Patris ſui Auguſtini hæreditarijs flammis, cum que ſe intra fines Europæ non poſſet continere, transferri curauit ad Indos, vt viuidæ charitatis affluentiam funderet.

Optabat tunc pius Rex in Philippinas Inſulas Operarios nouos ablegare, vt ſuppetias ferrent annuntiantibus ibi facta, ac doctrinam Christi: cognitoque Reformationis ſancto propoſito, gratum Catholicæ Maieſtati fuit, duodecim Fratres cum Superiore vno deſtinari; vt copioſius populus ille, Miniſtris adauctis, Euangelicis inſtrueretur diſciplinis. Placuit beneficium noſtris, & adſtipulati deſiderio Regis, claſſicum decreuerunt canere. Vbique ſerpſit ſpiritualis oppugnationis rumor: & certatim omnes adſcribi militiæ ſtudẽt. Delectus optimus Fratrum inter tot ambientes efformatur. Cecidit fortunata ſors ſuper Patrem Ioannem à Sancto Hieronymo, eximiæ virtutis virum, qui ob eius merita in Chiapenſem Epiſcopum electus, id onus religiosè, & modeſtè recuſauerat, vt Chriſtiferorum militum Ductor, ac Magiſter eſſet. Strenuos ſequaces habuit, & exploratæ probitatis ſocios, Patrem Andream de Sancto Nicolao, Apoſtolicum ſane virum, Patrem Michaelem à Sancta Maria, validum corporis domitorem, Patrem Hieronymum de Chriſto, prædicatione clariſſimum, Patrem Petrum à Sancto Fulgentio, in rebus agendis apprime verſatum, Patrem Didacum ab Annuntiatione, Charitate, & Religionis obſeruantià inſignem, Patrem Rodericum à Sancto Michaele, præſtantis ingenij commendatum dote, & multarum ſcientiarum ſtudijs perpolitum, Patrem Franciſcum

ſcum Baptiſtam pœnitentiæ rigidæ amatorem, Patrem Franciſcum à Matre Dei, magnum Ordinis zelatorem, & Fratrem Andream à Spiritu Sancto, nondum Sacerdotio inſignitum, clarà eruditione ornatum Deinde Fratrem Ioannem à Sancto Guillelmo, Fratrem Hieronymum à Matre Dei, & Fratem Ioannem à Sancto Hieronymo, Laicos (quibus poſtea fuit adiunctus alter eiuſdem voti Frater Simon à Sancto Ioſepho) omnes exemplari vita ſatis notos.

Aduentauit diſcedendi tempus: & cuncti, omni cũctatione abiecta, tanquam volantes aquilæ, ad prædam capiendam, Diabolicis adſtrictam vinculis, properàre feſtinanter contenderunt. Sumptibus Catholici Regis, neceſſarijs victui, & expeditioni paratis, Luciferi Fani portu (Sanlucar de Barrameda vocant) in nauim conſcenderunt omnes, & in Gaditano ſinu cuncta vela dederunt hilares.

Menſis erat nobis extunc celeberrimus ardens
Iulius, & luces bis ſenas fuderat ipſe.

Sereno cœlo, tranquillo mari, & proſpero ventorum flatu, Fortunatas tranſilierunt Inſulas, & tranſmeantes Occeani vaſtum æquor, leucas permultas patens, naues dederunt Inſulis, communiter de Barlouento dictis: proraſque poſtea vertentes in Mexicanum ſinũ ad portum Sancti Ioannis de Vlua, XIV. Kal. Octobris, fœliciter peruenerunt.

Mirabile, & inſigne virtutum documentum ab eis toto nauigationis decurſu fuit propoſitum: ſe enim, quantum ibi datur, intra ſeceſſos nauis cubiculos, in eis crebrum abhorrentes tumultum, continebant, vt, ſi poſſent, obſeruantià clauſtri potirentur: aliquando verò à peranguſtis illis exibant receptaculis, vt proximis opere, & exemplo ſubuenirent. Ingentes animo-

rum

rum motus in concionibus excitabant ſuis, & in vitijs deteſtandis acres, multos à laqueis auocabant peccatorum, ignitiſque verbis ad virtutis inflammabant ſtudium. Medicas infirmis adhibebant manus, & ægritudinis luebant immunditias. Roborabant etiam animos depreſſos: ac in ſuis cordibus diffuſa charitate, dum mare pacatum erat, celeri cymba, vniuerſam circumibant claſſem, & nauigantes cunctos impellebant ad virtutem: curatis que infirmis, proprium repetebant locum, poſteris ſuis in hoc exempla præclara relinquentes.

Poſtquam dies aliquos, corporibus alleuandis, conſumpſerunt: Mexicanam adire vrbem omnibus viſum eſt: vbi per quatuor menſes commorati, virtutum ſuarum odorem ſparſerunt: quo ſibi cunctorum conciliarunt animos. Ad eos conueniebant multi, qui pabulo diuini eloquij cupiebant ſaginari. Tempore manſionis huius, in contemplatione, mortificatione, vigilijs, & aſperitatibus exerciti, tenuerunt omnimodè clauſuram, quouſque in Acapulcum proficiſci fuit neceſſe. Inſtabat iam decurrendum iter, vt æſtuans eorum animus, Diuini amoris iacula, in frigida Gentilium verberaret corda: ideoque odio proſequentes moras, quarto Kal. Martij, anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſexto, maris pacifici conſtanti quiete, à littore Acapulci egerunt.

Diutinè ab eorum oculis Hiſpaniam nouam venti remouerant, cum Patrem Andream de Sancto Nicolao corripuit læthalis morbus. Mœrore affecit cunctos inopinata infirmitas, & dolere cœperunt, quem diligebant intimis viſceribus, propter antiquam viri fraternitatem, & ingenuas eius animi virtutes. Ipſe pertulit dolorem magnum, non ob ægritudinem, & inſtantem mor-

mortem, sed ob suæ prædicationis & laboris euanentem spem: animum tamen, ac voluntatem, ad *Diuinam* aptans, Ecclesiæ se muniuit *Sacramentis*: cumq; iam extremum effunderet spiritum, terram se vidisse, conclamarunt nautæ. Andreæ spiritus reuixit audiens, & tranquillo recreatus animo, suis Fratribus enixè petijt, quod terram demonstrarēt illam: eius premente debilitate, illud renuerunt Patres, sed amici tandē arridentes voto, proprijs asportarunt humeris, de parua vt prospiceret fenestra. Vidit, & exclamans dixit. *Nunc moriar lætus*: & nomine Iesu inuocato statim è carcere huius corporis ad perpetuam, & fœlicem libertatem euolauit.

Exìnde Fratres, lachrymarum copià, debitos cientes questus, profundo mari commendarunt corpus, ac exequijs, prout locus ferebat, rite perfectis, Zebuensem tenuerunt Insulam: deinde Manilam versus nauigantes, secundo aspirante vento, idibus *Maij*; nautæ illic iecerunt anchoras.

Mox dimanante fama, eos in portum esse inuectos, magnus factus est concursus omnium ad excipiendos ipsos. Tenebat Manilę clauum D. Petrus de Acuña, Melitensis Eques, qui obuiam generosus prodijt, & comitate honorificà, ac reuerentià summà, Apostolices viros, longissimam conficientes viam, amplexatus, officiosè, & humaniter tractauit. Fessis artubus data requie, litterisque prolatis Regijs, aduentus causam diuulgarunt; quæ postquam ab omnibus fuit commendata valde: fidelium eleemosynis domus comparatur humilis, duobus stadijs, & amplius ab vrbe Manilensi distans. Inita fuit possessio eodem anno: die Septembris decima, Tolentinati Nicolao sacra: vt syderibus eius, sereno cœlo, afflaret semper illis aura secunda.

Con-

Constructo ergo propugnaculo primo, Principi tenebrarum, gentem multam crudeli iugo prementi, confestim bellum indicitur. Haud abest procul à Manilæ situ oppidum quoddam, Mariuelez dictum, cui cœli temperies sæua, & vitæ humanæ exitiale odium. Incolas habebat rigidos, pessimà pollentes indole, incultis moribus deditos, ac pene omnes rubigine Adami nondum flumine lustrali mundos. Accessit Augustini Patris renouata cohors, & inuito Dæmone, mansuefecit barbariem illam, ad Christianæ que fidei allexit suauitatem. In hac spirituali expugnatione strenui tres Christi milites, Pater Michael de Sancta Maria, Pater Petrus à Sancto Iosepho, ex Patribus de Obseruantia inter nos admissus, cum socio suo laico Francisco de Sancta Monica, loci insalubritate, prædicandi, & catechizandi operoso labore, pœnitentiæ que asperitate, diem suum fœliciter clauserunt. Non deterruit reliquos festinus occasus iste, sed multo magis confirmatis animis, non solum aream illam, habitis animarum lucris, reliquerunt: verum etiam, multorum Fratrum vitæ magno dispendio, hactenus perseueranter retinẽtes, Regionem de Zambàles dictam, similiter & Tugui, inuicta virtute, penetrare sanxerunt.

Imbutis enim inquilinis de Mariuelez Catholicæ nostræ fidei documentis, Seminatores verbi Dei vlterius sunt progressi, ea parte, quæ ad dexteram Septentrionis vergit. Patebat illic magnus animarum campus: vbi, distinctis municipijs, effera gens, multis subiecta tenebris, & nullà irradiata luce, in mortis vmbrà sedebat. Aduentauit ergo eis Euangelij claritas, & fugatà mentium caligine, verum ipsæ agnouerunt Deum. Salutaribus multi quotidie immergebantur vndis, & continenter in caulam Domini, velut errantes oues, in-

inclusi, spiritualibus pascebantur alimentis.

Vt Ministris ibi mansuris esset deputatus locus, in oppido de Masinglo fundatum fuit Monasterium Apostolo Andreæ sacrum. Continet territorium hoc ferocissimos omnium confinium accolas, ad bellum valde propensos, & brutalibus addictos moribus. In horum conuersione, multum operæ, laboris, ac studij posuere nostri: in summo que vitæ discrimine versati, sine intermissione, annuntiauere verbum Dei: quod factis & exemplis confirmarunt. Frequens erat quæstio, quod illi eorum animas; non caduca quærentes, appetebant, ideoque gloriam eis æternam offerebant.

Per duos annos pertinaces Gentilium restiterunt animi, naturæ acerbitate inflexi: tanquam multa febre phrenitici in medicos, qui ipsos curare venerant: quapropter illos sæpe mactare, crudeli supplicio, decreuerunt: quod continuo parati Patres expectabant, & æquo animo laborum tollerabant multitudinem, propediem cogitantes mori, in manu gladij, vel famis: nam siluestribus solum vescebantur herbis, quibus aliquando mucidus addebatur panis, quem parcissime, raro, & difficiliter, habebant.

Cœlesti tandem operante doctrinà, Pagani errorem suum agnoscere cœperunt: quo prospero, ac fœlici euentu, euangelizantes extruere colonias non cessarunt. In oppido tunc de Cigaian Monasterium aliud erexerunt, Michaeli spirituum cœlestium Principi dicatum: aliudque in oppido de Bolinào Magno Augustino Patri: vbi, vsque in hodiernum diem, magnas animarum copias cœlo compararunt, feras illas ad mitissimam mansuetudinem, pacatissimamque lenitatem reuocarunt, ac Cyclopum more viuentes sociabili, politicæque vitæ subiecerunt: quod experimento proba-

E tum

tum in illis Insulis, & conceptis verbis, à multis iuratum, in anacrisi quadam, ab vrbis *M*anilæ Præfecto facta, testimonijs consignatis, constat: Fratres nostros ferocem gentem illam, ita Crucis Christi domuisse ligno, vt qui prius leonibus sæuiores erant, nunc columbis existant mittiores: nam littus illud commeantibus infestissimum, post annuntiatum à nostris Euangelium, hospitium est valde tutum, & affabile: quod quidem admiratione dignum fatentur omnes, in truculentæ naturæ hominibus, ad effusionem propriæ speciëi sanguinis maximè procliuibus.

Quid autem laboriosum erit Diuino præsidio fultis? Quamuis generis humani hostis procuret obstare suggestionibus: vt casus tulit in oppido de Cigaian, cuius Conuentu, paulo post illius fundationem, igne deuastato, quidam ex infidelibus, iussu Dœmonis, vnum ex nostris immitti pugione (illo idiomate Igua) grauiter vulnerauit. Hilari vultu sustinuit Minister Christi, & restaurato Monasterio; de incœpto opere non deflexit, quod gratum esse Deo, fuit duplici euentu confirmatum.

Obibat Prouinciam illam Pater Rodericus de Sancto Michaele, & tempestas exercebat maria in salebris de Baghui. Ventus erat vehemens, cum cautibus allisa scapha, vndis demergi cœpit. Profundo aquarum miseris interclusis nautis, solus Rodericus à tumido fluctu quodam in cautes alias, parum distãtes, fuit aduectus, ex hoc que discrimine valens euasit, ac superstes. Postridie natandi ignarus, legendi terram nullam iam habebat spem: cum venit quidam, dictis adnatando cautibus, & se naufragium similiter passum esse narrans, quod nando fœliciter vitauerat: in cimbam conuertit dorsum, & Rodericum in

pro-

propius baiulauit littus.

Accidit quoque, quod Pater Ioannes ab Ascensione, dum ministerij sui partes impleret, & ora maritima de Zambàles legeret, maiori naufragio quateretur. Suspensum erat mare, & tranquillitate subsidebat placidà, cum, vt solet, repentino impetu, ventorum concitatum flatibus, se extulit velut in superbos montes. Sæuis nauicula verberabatur fluctibus, & aduersam maris fortunam passa, penitus inuersa est. Depressi aquis interierunt omnes, vnico Ioanne excepto, qui subter carinæ cauitatem, Diuinà prouidentià, caput aptans, totum corpus, immersum vndis, subleuauit brachijs. Integro triduo iactatus fluctibus, ex hoc tandē periculo, viuus, & incolumis emersit: sedata enim tēpestate, Mercatores quidam nauigabant illac, cum linter inuersa occurrit, quam mercibus onustam augurati, ictibus eam carpere cœperunt per illam partem, quæ super aquas apparebat. Tunsionum perseuerantià, ac crebritate, paruo transacto tempore, ipsam perforarunt. Statim vox tenuis miserabiliter inflexa perculit Mercatorum aures, quam, concussi metu, percipientes, opem sibi cognouerunt implorari. Hac petitione, confirmatis animis, multo latius foramen effecerunt, & Ioannem, abs luce degentem, repererunt: quem pene exanimem vestibus fouerunt viatorijs: donec quiescente halitu, perfectè respirauit, grates plurimas rependens Deo: Mercatoribus que de accepto beneficio gratulans, omnia, quæ passus erat, memorauit: postea ab eis, nimis super ea, quæ viderant, mirantibus, simulque stupescentibus, in Insulam eductus, Euangelico muneri multo feruentius satisfecit.

MANIPVLVS SECVNDVS

Prouinciae de Caraghas capit conuersionem:



INCVLIS seruitutis Dæmonum incolas de Zambàles vinctos iam nostri in libertatem asseruerant Christianam: cum adhuc, fame capiendi animas, diuersas expugnationes conabantur aggredi: cooperariorum verò se penuriâ interponente, propositum ardens distulerunt, vsque dum in Hispaniam Commissarijs ablegatis, auxiliares ipsi contubernalium conuocarent copias. Vltrici Diabolus mordebatur ira, suæ ruinæ scissuras restaurari videns, ac eius subiectione captiuos male possessos explicari: cum per obitum Commissarij vnius, expeditione quadam ad finem non perducta, aliam iam propediem conficiendam, suis impediuit substructionibus: præsidio tamen comitante Diuino, quod humanis erat destitutum viribus, & Diabolicis expugnatum machinis, eius, largius, cūctis ineffabilem peruulgauit prouidentiam.

Infausta nuncia de retardatione cooperariorū percusserant nostrorū animos, in vineâ laborātiū Domini, cum publicis precibus, superno imploratô auxilio, Cōmissarium alium, vt veniret in Hispaniam, ipsi delegerunt. Senatus Populusq; Manilēsis, vno ore, Catholico Regi epistolas missit, efficacia continentes verba, de vtilitate, ac necessitate nostrorum in illis Insulis,

Apo-

Apoſtolico prædicantium more: vt ſubſidiarios huiuſmodi amandaret Fratres. Omnibus ergo ad nauigationem maturis, Commiſſarius ſubijt in mare, acceptàque benedictione, vix à Cabitenſi portu, ſexto à Manila milliario, diſceſſerat: cum ventorum vi, exorta tempeſtate, cunctæ perierũt naues: ac etiã multæ, quæ in portu collocatæ erant. Tumeſcentibus iactabatur fluctibus ſola Commiſſarij nauis, & orationibus deniq; ſedato mari, ſuæ ſe cõmiſſit viæ, in qua multos expertus labores, peregit inchoatum munus. Conceſſis deinde coadiutoribus (quos zelus, & vigilantia Catholici Regis tranſmitti ſemper iubet, ac procurat) Epiſcopo Zebuenſi inſtante, Prouincia de Caraghas aſſignatur, quæ pars inſulæ de Mindanào eſt, vt in eà per noſtros annuntiaretur Euangelij ſalus.

Inter plurimas Archipelagi Sancti Lazari, haud minimum nomen hæc Inſula de Mindanào tenet, omniũ capitis *Luzoniæ* æmula: & ab ipſa centum, & quinquaginta leucarum ſeparata diſcrimine. Ambitus eius tercentenas ſuperat: nullique reliquarum magnitudini, aut vbertati cedit. Indigenas continet Mahometica alios doctrina, gentilitatis alios cæcitate merſos: ad prædas in mari agendas, veluti innatà vi, & pronà naturà inductos: deprauatis que inſtitutos moribus: quorum aliquos hic ſummatim perſtringemus, vt noſtrorum labores, in illis eruendis, perſpicue cognoſcantur.

Suppoſità feritate, ac belligerandi acri cupidine: vſus diripiendi conuicinas *Inſulas*, & earum habitatores redigendi in ſeruitutem, maximè arridebat illorũ voluntati; haud exceptis amicis, ac etiam conſanguineis. Superſtitionibus imbuti vanis, de municipijs ad prædam egreſſuri, vt oraculum acciperent de fuga, victoria-

ctoriàve futurà. Dæmoni litabant victimas, eas que solemni celebrabant ritu. Stabat eorum Kacosacerdos medius, in authoris scelerum execrando fano, & pedibus, ac manibus constrictum, iuxta se, captiuum habebat hominem, aut saginatum suem. Floribus ornatum, alijsque venustum rebus, vndique patebat obscænum, & inquinatum templum. Conuenæ assistebāt omnes, polymitis ornati vestibus, pectoralibus spiris fulgidi, ac hastis armati suis. Omni congregato populo: Sacerdos impurus in cubiculum quoddam secretū recedebat, vbi sub serica cortyna abditus, indignas luce dabat precationes, & inconditā voce, clamores magnos profundebat, quousque energumenus prodibat, ac phanaticus. Iam furijs occupatus infernalibus, flammas scintillabat igneas: populoque Diabolicam vaticinationem enuntiabat, quam nullus recusabat venerari. Illico cymbalorum pulsatione, ac sonitu, circulatim, iuxta sacrificium, tripudiabat Mystes formidabilis, &, post aliquod temporis spatium, lancea configebat miserum captiuum, aut subrùmum suem. Subsequebantur nobiliores populi, & æquali circuibant ordine, similiter que lanceis, vsque ad necem, victimæ infligebant vulnera.

Peractà cruentà cæde, si atrocis sacrificij homo materies fuerat, in flumen proijciebant illum: setigerum si vero brutum, illud condiebant. Facto pulmento, & geniali apparata cœna, aruspicinis insistebant epulis: in quadamque eleuata, ac ornata mensa, aræ simili, Diuatæ (sic appellabant Dæmonem) paratos apponebant cibos, quos tangere, aut ad eos prope accedere, erat immane nefas. Absoluto sacrificio, & omnoso conuiuio, Sacerdos per aquas illa spargebat fercula: omnesque, iuxta acceptum oraculum, illius obser-

seruabant nutum, & cum prædas assentiebatur exercere, littoris maris intendebant iter: vbi paratum erat nauigium intra aquam, vel extra. Tunc cunctis à longè circumstantibus, Sacerdos fatidicis adiurationibus, ac compressis mussitabat verbis, & per intercapedinē conquiescens paruam, si forte nauigium mouebatur, bonum comprobabat augurium: secus vero, latrocinium differri proponebat, vt fallacibus repetitis sacrificijs, nauigium motionem demonstraret exoptatam.

Ementitis vaticinijs creditis, adhuc ancipiti distrahebantur cura, & volubili fortunæ diffidentes, auguralibus detinebantur obseruantijs. Haud nimis rarus in illis Insulis, passer apparet quidam, appellatus *Limocòn*, turturi Europæ parilis: quem si, ea parte, cui parabant bellum, sonos è gutture emittentem prospectabant: proculdubio fortunam iudicabant infensissimam, & incœptæ nauigationis retrahebant cursum. Aliud, quoque sortilegium, bellum petiturì, perpetrabant, vt quantis se impositurros seruile iugum præsagirent: conseruabat namque eorum quilibet in domo sua, & indigno venerabatur cultu, dentes quosdā magni illius aquatilis lacerti (vulgo Caymàn) distinctis insertos filis, diuersis que dicatos Dijs, & illos tradebat Sacerdoti, qui apud illos Bailàn nominabatur: vt adhibitis ipse taciturnis precibus, obseruaret dentum dæmoniacam motionem, exinde que capiendorū comprobaret numerum.

Postquam portum reliquerant, promontorijs, aut abruptis scopulis summam exhibebant reuerentiam, tanquam belligèrum Deorum domicilijs, quos humili salutabant animo, & clamore prolixo, ad eos supplices tendebant manus, idemque faciebant in loca remigrantes propria, vbi epinicias gaudentes celebrabrant

brant

bant, aut propriæ fugæ infortunium queribundis dicebant vlulatibus. Demum conuocatis affinibus, domi suæ, feralia agebat vnusquisque: & sic commessationibus, ebrietatibus que, expeditionem susceptam terminabant.

Libidinis fœdo volutantes cæno, continuæ maximopere intendebant temulentiæ, & nullo ductu rationis, quasi bruta, ad explendas cupiditates, rapiebantur: itaque pro libito, vxores sibi multas adiungebãt, aucto numero, iuxta opum affluentiam: matribus etiã, ac proprijs sororibus, apud aliquos populos, in matrimonio habitis. Fœminis viri conficiebant dotem, quæ inter consanguineos mulieris, attenta cognationis propinquitate, diuidebatur respectiuè. Cum aliqua publicum admittebat adulterium, quod accidebat frequenter, illius violator iuris, pecuniam dando offenso, scelus luebat perpetratum. Nullius difficultatis repudium erat apud eos: sed quando illis, id suscipere, iubabat, nulla interueniente causa, vxores dimittebant: filios que, si susceperant, æqualiter inter se distribuebant.

In multiplicem Deorum cultum miserrimè delapsi, nullius negligebant falsitatem. Bellica præ cæteris venerabantur falsa numina: & ea, quæ morbis, ac satibus ipsi præponebant. Lapidea, & lignea sculpebant simulacra: tam deformia visui, vt nullum, in rebus, magis videretur execrabile. Illa visu hebeti colebant tenebrones, ideoque quam plurimis obducebantur caliginibus. Præsagijs deinde futilibus subacti fatalia, quæ fingebant, discrimina vitabant, cum enim propriam, seu alienam intrabant, vel deserebant domum, si lacertæ sibilabant (apud eos Taloto, & Chacon) corda anxius occupabat metus, qui ipsos ab

ingref-

ingressu, aut regressu prorsus continebat: eodemque timore, dum stornutabant, quatiebantur.

Aliquo eorum de medio sublato, ad ipsius filium primogenitum, fratrem immediatum, aut propinquiorem consanguineum de homicidio vindictam sumere spectabat: in cuius muneris tesseram, determinato numero, quosdam viminеos annulos vltor immittebat brachijs, & quibus poterat, etiam insontibus, inferebat necem: cumque vnam patrasset cædem, vnum ex annulis statim deponebat: quibus omnibus, dispendio humanæ vitæ, abiectis, velut munere iam perfunctus debito, plusquam barbaris supersedebat cladibus. Toto vindictę tempore (quod Balàta vocabant) absque igne adhibito, cibis vindex vtebatur, & montiuagus solum ad exequias solemniter veniebat celebrandas.

In cuiusuis obitu, omnes ipsius cognationis, risu dignam, & ludibrio obnoxiam, quamprimum, custodiebant cæremoniam: loquentes enim inuicem, ora diligenter obtrudebant manibus: quia censebant; quod si hoc non facerent, defuncti subito animam in eorum introituram esse corpora: Lugubres vestes erant albæ: & quo mortuus generosior, eo maior, & intensior lessus. Multum temporis exequijs terebant lachrymosis: in quibus facinorum mortui recitatio piaculare beneficium erat, quam, tristi sono, vnus è consanguineis pronuntiabat: cognatio tunc auscultabat taciturna, & interuallo modico transacto, cantilenæ annuens absonum clamorem edebat cum gemitibus.

Ei parti fluminis, vel maris, vbi mortuus nobilis, veluti balneo, se lauabat: aut assiduus erat, piscibus prendendis, toto exequiarum decursu, nemo proximè accedere attentabat: nam pœna capitis sancitum erat. Solemni pompà efferebant cadauera nobilium, sepul-

chro commendantes ipsa, seruum vnum; quem secum à pueritia nutritum defunctus, vinculis amoris, in oculis gestauerat, similiter, humo iniecta, viuum contegebant: vt ibi exhibèret mortuo seruitutem. Cum fœminæ cadauer erat, non seruum, sed ancillam relinquebant: quamobrem in natalitijs filiorum, destinabant vernaculum mancipium, pari adolescens tempore (quod Atubang vocabant) vt in infantia assisteret, in pueritia placeret, quoad suppeteret vita, ministraret, & in morte, coiret in sepulchro societatem.

Munditie mactè, cadauera latis collocabant pheretris, & ipsa pretiosioribus ornabant indumentis: aliaque similia, à consanguineis dono data, apponebant complicata, vt proprijs obsoletis, syntheses, qui mortui iam erant, inuenirent. Bracteis deinde aureis ipsorum occludebant ora: & fœminis, ibidem, sui vsus spintheres, monilia, mundum muliebrem, & filis ducendis, textrinæ, acuque picturæ, quæcumque reconderant necessaria: viris autem arma, lanceas, parazonia, pharetram, arcum, spicula, & falcatos enses: paropsides etiam argillaceas, & discos permagno vtrique æstimatos pretio: dolia insuper multa, & vasa quædã (Tibores apud ipsos dicta.) Cum etiã, qui mortuus erat, si dum vixerat, diuitijs abundauerat, omne aurum, vniones, oniches que, quibus delectabatur, secum deferebat; vt in altera vità, quam mortalem similiter opinabantur, nullis indigeret: sed omnia ipsi affatim suppeterent, pro libito.

Camporum planitie, semigrabant sepulchrum vnumquodque; nisi fortè inter saxa, spelunca aliqua, bustis idonea, esset: quà mugitus vehementes, & strepitus Dæmon profundere solebat. Supra illud, si imbribus obnoxium erat, erigebant tugurium, quod posset

ſet vim aquarum ſuſtinere: & lautam deinde inſtruebāt menſam, ſapidasque imponebant dapes, quas, integro vnius anni curſu, quotidie recentes afferebant, & illas, quas, anteacto die, miniſtrauerant, tanquam rem ſacram, attingere non auſi, abijciebant in flumen, magnâ reuerentiâ.

Annuatim ſuorum Februa cognatio exequebatur quælibet: & tanquam ſupremis honoribus, multas inter proprios, piaculis, & officijs, diligens colligebat oblationes. Cibo ac potui apparatu facto, in certum omnes conuocabat locum, vbi ſtultis ſacrificijs, manes infœlices memoriâ repetentes, ingluuiēi vacabāt, & dementi crapulæ; adhibitis tripudijs, & vſque ad omnimodam laſſitudinem, agilibus, extra numerum, motionibus. Poſtquam ebrietas abierat corporibus, & dies funeribus anniuerſarijs agitandis conſtituta, infamique veneratione celebrata, amentibus erat abſoluta terminis: ſcirpeum, vel arundineum, in maritimis, fluialibusve oris, lembuculum parabant, quem curioſè onerabant porcellis, gallinis, piſcibus, & ouis, alijſque apophoretis, & gulæ irritamentis: cum patinis orizâ coctâ plenis. Tunc Sacerdos, non per præſtigia, ſed palam Diuâtæ, & mortuis loquebatur, & ipſos obſecrabat, quod xeniola tenuia capeſſerent libenter, lōgum ſibi vitæ condonarent curſum, amicam oſtenderent fortunam, & proſperas, ac placidas adiungerent victorias. His ineptijs miſſis, omnes, ingenti clamore, lætitiâque ſalutabant Diuâtam, & defunctos: deinde Sacerdos proprijs lembuculum enodabat manibus, & ab aquis raptum: licet ad terram, vndarum decurſu, accederet; nemo audebat attrectare: quoniam fœdiſſimum erat crimen apud eos.

Politia, aut aut adminiſtratio publica, Dynaſtarum

propemodum constabat toparchià: tantà que pollebant ipsi authoritate, vt ab eis præscripta, quamuis essent rationi, aut æquitati dissona, ab omnibus exactè obseruarentur. Cum aliquis in alterum capitale conciperebat scelus, in domum se cuiuslibet Herois recipiebat, vt consuleret vitæ, tanquam sacri Religione templi, sub cuius seruabatur protectione. Heros tunc pecunijs corrumpebat, ac muneribus, eos, qui de scelere, in iudicio, aduersus delinquentem decertabāt, vt accusationem penitus deponerent: sicque iudicia fugientem, & timentem, à mortis eripiebat pœna. Ad hoc vero non charitatis, & miserationis ducebatur animo, sed visceribus potestatem sitientibus: nam vt id moris inoleuerat, ille, vxor eius, & qui nascebantur ab ipsis, rigorosa semper tenebantur, sub Herois eiusdem dominio, seruitute.

Nec solum crudelem tyrannidem, ita Primates demonstrabant: sed multa etiam diritate, magnaque asperitate, infimæ classis vexabant populares, & leuissimis de causis, miseros illos iugo opprimebant seruitutis: vt liquebit in hoc casu legenti. Priusquam à nostris Euangelij lux tantæ obijceretur cęcitati, forte accidit, quod quidam plebeius, celeri cymba, quoddam illius insulæ transmeabat flumen, & remum impellens, vndas batuebat palmulà: cum, per idem tempus, traducebatur illac cuiusdam Magistratus vxor, quam, inopinato, aliquibus aquæ irrorauit guttis. Ob hanc tantummodo causam, sicuti execrabilis iniuria esset, vel inusitatum crimen: plebeium ipsum, omnem que eius parentelam, illius mulieris coniux, suæ potestati, in perpetuum, mancipauit.

Horum Magistratuum electiones, erant ab eis penitus ignotæ: itaque duntaxat Præfecti censebantur, qui

ma-

maiori tyrannide vigebant, potentià, audacià, temeritate, & sæuitià: vt asperè tractarent populos, suorum hostium impetus reprimerent, longè sua prorumperent flagitia, extinguerent sine causà subditos, & querentes de iniurijs, ipsis irrogatis, pœnali seruitute, aut aliquarum auri vnciarum mulctarent solutione. Imperio sic crudeli, & seruitute, suam ipsi Rempublicam tenebant, numerum augebant mancipiorum, & eis indicentes maxima tributa, ad magnam vim perueniebant diuitiarum.

Cum quiuis ex potentibus epulum parabat sibi æqualibus, admonebat omnes cognationis, aut superintendentiæ suæ, quod ad constitutam diem, esculenta, & poculenta contribuerent; & ab hoc mandato deficientes, insperatà venià, captiuitatis supplicio puniebat. Serui isti extra herorum habitabant domos, eorum excolebant agros, vindemias faciebant ceræ, & mellis, per maris littora quærebant succinum, ac fodinas auri euiscerabant. Omnium fructuum, quos suo percipiebant victui, illis offerebant partem meliorem, vel manebant triremibus affixi. Cum Dominorum fauoris eis aspirabat aura, in alios improba gesta, & nefaria admittebant scelera: liberiori additâ licentià, nam ex parte nullius, potestas vlla erat, tales resecādi audacias.

Primàtum pernicioso exemplo, plebeis æqualibus, etiam obrepserat tyrannis: nam cum aurum ab vno mutuabatur alter, magno fœnore accipiebat præstimoniū: ad statumque diem, debebat annuos redditus, vel antidora persoluere: quæ industriam, & diligentiam debitoris frequenter superantia, multum addicebant creditori: ideo que debitor, graui illius æris onere depressus, satisfacere non valens, seruituti subesse coge-

gebatur. Cum vero inter dantem, & accipientem mutuum, intercedebat imparilitas; etiam si debitum quatuor nummos non excederet, vinculis debitor ligabatur seruitutis, ob vsuras magnas, in paucis obolis, contractas.

Fortunarum hac cupiditate, & amore allecti: hianti, & insatiabili ardebant auaritiâ, cui nimiam pigritiam, præter mortalium vsum, velut astro quodam, adijciebant. Eorum aliqui ob illam causam parce ac duriter agebant vitã, radicibus & herbis tenuissimum parantes victum: quamuis ea Insula piscibus, apris, & ceruis, sit admodum abundans. Ab imis vnguibus ad summũ verticem, ex fraudibus constabant, & fallacijs: faciliter se obstringebant iuramento, & minimo negotio, ipsum violabant refractarij: erant ad credendum saxei, & cuiusuis fere incapaces disciplinæ.

Veneficijs magnopere deuexi, ipsorum sitienter appetebant cognitionem: & cum naturalium causarum, pro captu suo, cortices nequibant terebrare: Patris mendacij consilium inquirebant, à quo instructi, in vitæ humanæ se exercebant destructione. Penè erant vniuersæ rei herbariæ peritissimi: & vsque in hodiernum diem huiusmodi notitia durat: nam simplicibus medicamentis, morbos graues, non difficulter, pellunt. Accedebat etiam amulèti totius experientia: præsertim ad colubrum virus, & cibos veneno infectos, quos fœminæ sæpe solebant læthiferis condire succis. Sacerdotes etiam cum acutis tabescebant morbis, ipsi conueniebant, & auro oblato, de salute, vel morte, faciebant, eos Dœmonem consulere. Quidquid à parte inferiore animi eis fingebatur dormientibus, tanquam Diuina oracula credebant & narrabant.

Huius gentis nobilitas, & stirpium dignitas, virium proprio

proprio robore, & tantum belli potentia stabat indiuidua: exindeque multorum extinctione: præmio ille decorabatur honorabili, cum procedebat præliaturus: eratque, in nauigatione, à remis penitus vacare, quod apud eos immunitas magna, & non omnibus concessũ priuilegium. *Insigne* nobilitatis, & generosi sanguinis decòrem cidaris indicabat rubra, & quo plures in prælio redegerat in seruitutem, aut luce priuauerat communi, eo magis purpureis vtebatur vestimentis: vt quasi digitto, fortitudinem suam explicaret, & hostibus incuteret timorem. Tempore belli, serui, qui animosi erant, in mensis sedebant Dominorum, & cum ipsis, simul manducabant, & bibebant.

Gloriam illam, seu dignitatem (posteros eius hæreditate priuantem, nisi proprijs obtineretur gestis) maximopere filijs cupiebant, quos ad illius culmen omnibus vijs, conabantur duci, & promoueri. Quamobrem conflictum petituri, secum adducebant adhuc pueros, & eos prius edocebant, quod vestigia eorum premerent: hostem, in certamine, auersis afficerent vulneribus, & postea finirent enecare: vt cidaris purpurea capiti daretur imponenda: quo præmio ferociores fiebant bellatores, & rectum gradum ad honorem dirigebant.

Eorum arma, communiter ferè, lancea, & clypeus, qui à forma Hispanica maximè distabat: erat enim longus, & angustus, totumque operiebat corpus. Cum signa conferebant dimicandi, conuicijs, & maledictis primo irritabant aduersarios: ac deinde saltibus concitis, clamoribusque incenditis, committebant prælium: à quo cessare, erat ignominiæ nota, quæ eorum obscurabat nomen: præcipuè cum terga vertebant inimicis: quod apud eos, dedecus summum, turpis macula,

cula,

cula, & infamia deteſtabilis: ſicut ex oppoſito, hoſtes ſuperare, aut in fugam eos timidos conuertere, celebris honor, & ſuperſtes fama, quam, in diuturnis nauigationibus, poſteri grauibus concentibus narrabant: vbi quatriduo, & amplius, facinora maiorum vnus cantando recenſebat, cui omnes attentis auſcultabant animis, & per aliquod interuallum temporis, cantilenam illam alternis acclamabant reſponſionibus.

Alcoranum Mahometicum aliquibus erat diuulgatum partibus: eiuſque mortiferum contagium Inſulã non totam occupauerat: quia eius accolæ erant vſque adeo potatores, & carnis porcinæ ganeones, vt haberet plurimum difficultatis, aliquantulum ab eis abſtinere. Conſulto permulta alia, narratu digna, omittimus; ne forte extra orbitam curramus, dum intentionis noſtræ ſcopus, præcipuè, in Fratrum explicandos labores, pro Eccleſia exantlatos, tendat: quapropter, ad propoſitum, vnde digreſſi ſumus, ſermonem reuocantes, apertâ viâ, incœpta peragemus.

Admiſſâ ergo Prouinciâ de Caraghas, in extremis oris Mindanài ſitâ, quæ incolas continet, quos diximus: noſtri Euangelici Operarij Regnum *Dei*, & iuſtitiam eius alacriter ibi præſentarunt: in oppido quẽ Tandaghenſi ædificarunt Monaſterium, ſub Tolentinatis Thaumaturgi titulo. Deinde alia in diuerſis locis erexerunt, vbi opere, & ſermone efferam Prouinciam illam, ad Chriſtianam, & Catholicam traduxerunt fidem, idòla deformia deiecerunt, Politicis barbaros inſtruxerunt monitis, fecerunt rationis facultate vti, liberales aliquas, & mechanicas omnes tradiderunt artes: quibus edocti neophiti magnos demonſtrarunt progreſſus, ad pietatis, & deuotionis ſtudium eos inflammarunt, Sacramentorum ſtabilierunt debi

tam

tam frequentiam, misericordiæ operibus insisti commouerunt, cōtinuis orationibus templorum sanctificarunt assistentiam, pœnas voluntarias pro sceleribus suscipere excitarunt, & tanquam Religiosorum cœtum, gentem illam nouis, & sanctis reformarunt institutis: ac veteribus abiectis ritibus, in quos miserè, per tot annorū seriem, fuerant delapsi, cœlesti doctrina recrearūt.

Nec labor, aut sanguis defuit, in eorum lapideis molliendis cordibus, & inuolùtis atra caligine, aperiendis mentibus. Pater enim Ioannes à Matre Dei, Conuentus Vallisoletani filius, in oppido de Villabañez Castellæ veteris natus (qui, anno præcedenti, Piratæ cuidā, nomine Inuc, prædas continuas in mari agenti, littorea compilanti loca, terra, marique, Hispanis, & pacificis Indis bellum, captiuitatem, aut necem inferenti; in nomine Domini, non galea munitus, sed signo crucis occurrerat protectus: verbi que Diuini efficacià, immanibus fecerat flagitijs, & trifurciferis operibus supersedere: ac ad Christianam fidem, & Catholici Regis subiectionem adduxerat) dum in Monasterio Tandaghensi Prior, Indum quemdam valde diuitem appellatum Suba: quem ipse Iesu Christo per Euangelium genuerat, & multis cumularat beneficijs: de ritibus superstitiosis, gentilitatis reliquijs, alijs que argueret peccatis: ab ipsomet, gratificationis, & beneuolentiæ immemore, Lanceà quater confossus, perfectæ vitæ munus adimpleuit. Eius corpus mandatum terræ, propè arcem Hispanorum Caraghæ, recubuit: & per singulas noctes, lux magna supra sepulchrum apparebat: quam stationarij prospectabant milites: admiratione que affecti, monumento approximantes, illico dignoscebant euanescere: secus verò, qui prope illud accedere nolebant: nam fulgida semper ipsorum ade-

G rat

rat profpectui. Perftitit eius fulgor, per fex integros menfes, quibus Ioannes manfit ibi fepultus: poftea, cum in Conuentum Zebuenfem effet translatus, lux omnino difparuit.

Interfector impius Suba, aut ingratus parricida, ftatim, poft patratum fcelus, Diuinæ iuftitiæ vindictam, & animaduerfionem expertus, pedibus debilitari cœpit, & dextro brachio truncus, vitam infœlicem duxit: vt qui greffus euangelizantis pacē, euangelizantis bona, iniufta morte, impediuerat: corporis fui nunquam poffet membra leuare: & qui magna beneficia acceperat, ac ingratus fuerat brachium, quo alia caperet, nonnifi aridum, haberet. *Ingratitudo enim* (dicente D. Bernardo ferm. 51. fuper Cant.) *inimica eft anima, exinanitio meritorum, virtutū difperfio, beneficiorum perditio. Ingratitudo ventus vrens, ficcans fontem pietatis rorem, mifericordiæ, fluenta gratiæ.*

Frater etiam quidam, laicus, cui nomen Ioannes à Sancto Nicolao, Compluti natus, dum in oppido de Iguaquet Cathecifta rudimentis fidei inftrueret Paganos: ab ipfis fuit proiectus in flumen, vt à pifcibus magnis, vulgo Caymanes, acceptus: & feptem ab ordinibus dentium, quos ipfi habent à natura, difcerptus, eorum effet efca. Potuit Ioannes, cum Ignatio, Antiochenæ Ecclefiæ Præfule, dicere. *Frumentum Chrifti fum, dentibus beftiarum molar, vt panis mundus inueniar.*

Sedata breui perfecutione: gentem illam (vt fuperius diximus) fuaui iugo Domini fubiecerunt noftri: cuius bonis Dæmon inuidiosè mœrens: anno millefimo, fexcentefimo, trigefimo, turbulentiorem commouit tempeftatem. Præerat Caràghæ arci Petrus Baptifta quidam, & debellationem oppido Baghanganenfi, fibi

ſibi infeſto, ſuſcipere deliberans: illius regionis Dynaſtas, quos amicos iudicauerat, ſubſidiarios conuocauerat:& P.Hiacinthum à Ieſu Maria, Conuentus Manilenſis Sancti Nicolai Filium, Taghenſiſque Monaſterij Priorem, ſecum adduxerat; vt arbiter, & Iudex animorũ eſſet,ac rẽ ſacram exinde celebraret. Expugnatis fœliciter hoſtibus,ad arcem, vnde venerant, hilariter omnes reuertebant: cum inter Ducem Petrum Baptiſtam, & Dynaſtas, leui de cauſa, graui conflata ſeditione, quidam eorum, Balintos nomine, binis vulneribus pugione inflictis, vita ſpoliauit Ducem. Tunc de ſumma rerum vtrinque decertatum eſt: & Hiſpani multitudine ſuperati, omnes profuderunt vitam. Interim Hiacynthus orationibus inſtans, genuflexus pro illis precabatur Deum: cum hæc facienti, ſuis traijciẽdo lanceis, huius lucis vſuram abſtulerunt. Eius corpus, quod erectis in cœlum oculis, & genuflexum, per horas multas, permanſerat, poſt mortem, immobile; perfidi Reguli in altum mare, ad tria milliaria proijci, fecerunt.

Abſoluta internectione, in oppidum Taghi occiſores Dynaſtæ deuenerunt: vbi, plenis faucibus, triduanis ſe obruerunt temulentijs. Poſtea eorum quidam, Mangauus appellatus, in Eccleſiam Monaſterij omnes conuenire præcepit: eiſque congregatis, ſacras violauit veſtes, & ſacroſanctam manſueti agni, pro nobis in cruce pendentis, arripiens imaginem: eiuſque brachia benignè peccatores ſuſcipientia, confringens, diſtrinxit enſem (quem Balaràò vocant) & inuerſo in dextrã brachio, faciem, in quam deſiderant Angeli conſpicere, percutiens, vtraque parte diuiſit. *O quam multus es* (vt ait dulcis Bern. Serm. de paſſ. Dom. fer. 4. Hebd. pœn.) *ad ignoſcendum! O quam magna multitudo*

dulcedinis tuæ Domine! *O quam longè cogitationes tuæ à cogitationibus nostris! O quam firmata est, etiam super impios, misericordia tua!* Furebat nefandus percussor Domini, & alia similiter perpetrabat scelera: cum Ecclesiam diripiendam dedit, ac quoque nostrorum Fratrum domicilium.

Principijs istis, decumana successêre mala: nam fœdus inierunt Reguli, conciliumque formauerunt prauum, vt morti traderent Ministros Christi: seu ad minimum, de illis partibus eijcerent, & simul ora maritima expilarent. Tunc inter se diuiserunt expugnandos tractus, & Mangauo obuenit Tandaghense oppidum, vbi Pater Ioannes de Sancto Thoma, ex municipio Sancti Pauli de Montibus, Toletanæ Diœcesis ortus, & Conuentus Vallisoletani filius, erat Monasterij *Prior*: qui, dum Mangauus, nocte ipsa medium attingente cursum, feroci oppidum teneret impetu: cum audisset tumultum, se corripuerat è lecto, vt cognita causa illius, in proprium gregem sæuientem temperaret furiam. Tunc à quodam ex irruptoribus spiculo transuerberatus, fœlicem animam Deo reddidit. Non multò post, sacrilegus occisor, sui sceleris pœnas dedit, à fera deuoratus pessima. Mortificatus fuit Thomas propter Christum, tota die, & æstimatus fuit sicut ouis occisionis. *Iuxta mandatum Dei sui, hic perdidit animam suam, vt eam inueniret in vitam sempiternam*: (inquit D. Petrus Chrisologus Serm. 128.) *extinctus est Diabolus: persecutor occubuit: ecce regnat, & viuit, qui pro grege suo desiderauit occidi.*

Nec Mangauus promotor scelerum, & Sacerdotum Christi sitibũdus sanguinis, à flagitijs aliquomodo vacauit: nam Patris Alfonsi de Sãcto Iosepho, insignis pietate, ac Religione viri, ex oppido de Villacañas, in

Mar-

Marchia Aragoniæ, Cœnobij Valentini filij, quem quæsiuit, & inuenit, vt in eum, Christiano nomini iratissimus, sui odij effunderet ardorem, repetitis ictibus, lanceam visceribus tam alte impressit, & caput, quadam securi, apud eos Campilàn, tam atrociter percussit, vt statim efflare animam beneuolo Patri fecerit. *O quam beati mortui* (inquit dulcis Bern. Epist. 105.) *qui in Domino moriuntur, audientes à spiritu, vt requiescant iam à laboribus suis. Non solum autem, sed & succedit iucunditas de nouitate, ac de æternitate securitas. Bona proinde mors iusti propter requiem, melior propter nouitatem, optima propter securitatem.* Exinde Ecclesiæ sacra vasa auferens, ipsam & Religiosam ædem funestauit.

Confestim, post hæc patrata scelera, suos cooperarios, vndecim nauigijs circumdatos, ac communitos, Sidargàum missit, vt loca deturbarent, rapinasque exercerent: & filium suum, Zancalàn nomine, prædatorijs alijs nauiculis, in oppidum de Bacuag adire iussit, vt eius sequeretur exemplum: quod euentu, tam in effusione Christiani sanguinis, quam prædis ibi peractis, ita factum est.

Implebat tunc ministerij sui partes deuotus Pater, virtutibus vndecumque clarus, Petrus de Sancto Antonio, Vrbis Granatensis, & conuentus Sancti Nicolai Manilensis proles: cum à sacrilegis prædonibus in oppido de Sirigào, nimia crudelitate, & sæuitia, circundatus: Iesu, & Mariæ nomina inuocando, lanceis eorum confossus, fœliciter, ac dulciter occubuit. Merito ipse auxilij copiam, in nominibus tantis, comparauit. De ipsis enim dicit *D.* Bern. Serm. 15. sup. Cant. *Iesus mel in ore in aure melos, in corde iubilus. Cui in periculis palpitanti & trepidanti innocatum virtutis no-*

men

Item in Hom. 2. sup. Missus est.

men non statim fiduciam præstitit, depulit metũ? In periculis, in angustijs, in rebus dubijs Mariã cogita, Mariã inuoca, Non recedat ab ore, nõ recedat à corde, & vt impetres eius orationis suffragium; non deseras conuersationis exemplum. Ipsam sequens non deuias: ipsam rogans non desperas; ipsam cogitans non erras: ipsa tenente non corruis ipsa protegente non metuis: ipsa duce non fatigaris: ipsa propitia peruenis: & sic in temetipso experiris, quam merito dictum sit. Et nomen Virginis Maria.

Dum perpetrabatur Petri mors à quodam Duce, Manangalàn dicto, Ecclesiam, & Monasterium Bacuaghense impius Zancalàn diripuit: superstites reseruauit & in seruitutem abduxit Patrem Laurentium de Sancto Facundo, & Franciscum de Sancto Fulgentio Laicum: quos, dum ipse voracitatibus, ebrietatibus que obruebatur, suis cum sequacibus, extra oppidum præcepit obscæno loco recludi, vbi, per duos dies, illi, absque cibo, & potu, multas, pro nomine Iesu, contumelias, & terrores passi, ab eis, quibus benefecerant, quam citissime mortem expectabant.

Tertia die, postquam, capta prædâ, Zancalàn satis exultauerat, ab oppido discessit, captiuos Fratres secum adducens, & in Taghum proras conuerti iussit. Paulò post incœptum reditum, nauigijs vidit stratum mare, ex Insulà de Sidargào venientibus: erantque illa, quibus alij Reguli, fœderis iniqui actores, iam depopulato oppido de Cabontog, ferebantur onusti latrocinijs. Summa fuit in occursu gratulatio, & omnes suum prosperum euentum exhilarantibus celebrarunt animis: egeruntque Diuàtæ gratias. Tunc Zancalàm, perfunctoriè, Dynastas certiores fecit, quomodo Laurentium, & Franciscum in captiuitatem tradidisset, & illic viuos, subtus prætorium ductos, habuisset.

His

His auditis, maior ab aduentantibus ſuſcepta fuit lætitia: inconditiſque vocibus, alacriorem cuncti percierunt iubilum. Deinde digittorum crepitu, & tripudijs, lanceam parabat vnuſquiſque, vt in ſanguine captiuorum Fratrum illam tingeret. Tandem quæſtio fuit. An illico ſatius eſſet, eos Diuatæ litari, aut poſtquam portum cuncti appellerent?

Cum hæc diſceptarentur, & de morte captiuis infligenda iudicium ineſſet: ipſi Diuinam implorabant opem: vt eis feruidus daretur amor, & chriſtiana fortitudo, ad ſanguinem, vitamque in reprobationem Diuàtæ, cum lætitia, & exultatione, profundendam. Senſerunt igitur, vt poſtea teſtati ſunt, omnem metum, & angorem ab eorum cordibus remotum: tam nouũque, & inuſitatum in ipſos irrepſiſſe gaudium, vt moras incuſantes, egredi conarentur, ad acriter eorum obiurganda ſcelera, & læto vultu, fortique animo, mortem quamcumque ſubeundam.

Quoniam verò Dei voluntas ita tulit, vt eis melior pars præriperetur: à Dynaſtis deliberatum eſt, quod illorum produceretur vita, quouſque in Taghum omnes deuenirent, & per tres continuos dies, Diuatæ celebritatem agitarent. Inducijs factis, captiuos, ex obſcurato loco, in lucem protrahi, Zancalàn fecit, ipſiſque cibos iuſſit apponi. Tunc Laurentius grauiter arguit Regulos de atrocitate ſuorum ſcelerum: & Deum, prolixa oratione, deprecatus, vt eorum dimitteret delicta, ac tenebricoſa illuminaret corda. Ambo inſuper, gaudentes in Domino, ventis, & mari obijciebant tarditatem, eo quod mortem ſibi longius diſtrahebant. In Taghum tandem Zancalàn inuectus, deſcendit de nauicula, & ad Patrem ſuum Mangauum perrexit: omnia que à ſe geſta memorauit.

Ma-

Malarum actionum proprijs agitatus ſtimulis, quibus nulla pœna eſt grauior, Mangauus, acerbo animo, quæ fecerat Zancalàn filius eius, auſcultauit: & vbi primum, ipſi nuntiatum fuit, Laurentium, & Franciſcum communi luce frui, in nauigij que ſqnalore humiles iacere, Scapham parari, confeſtim imperauit: & in eam conſcendens, quò Fratres tenebantur, curauit peruenire. Peccata enim ſua non ſinebant ipſum quieſcere, ſed de momento torquebant in momentū: itaque illis prementibus, volebat eſſe iudex, & accuſator ſui. Damnabat eum conſcientia ſua, de immanibus que accuſabat ſacrilegijs, in Eccleſijs, & Monaſterijs, perpetratis: ac de homicidijs Miniſtrorū Chriſti: ideoque multitudinem iniquitatum ſuarum expaueſcens, Laurentium, & Franciſcum ſedère, iuxta ſe, precibus impetrauit.

Tunc conſpicientibus omnibus, àdmiratione affectis, eorum pedes, & manus, genuflexus oſculauit: tenuitque deinde arctiſſimis brachiorum vinculis. Poſtea cunctis labra premere præcipiens: de delictis commiſſis velamen excuſationis prætendit, leuibus, & ſophiſticis rationibus; arreptoque pugione, qui eo idiomate, Balarào dicitur, depoſuit veſtem, ex rubro Damaſceno ſerico, auroque prætextam, quam de ornamento, quo frons Altaris Eccleſiæ Tandaghenſis veſtiebatur, confecerat: vmbilicoque ſuò parua duo vulnera infligens, effugia lenta ſanguini præbuit, quem filio ſuo, in quodam vaſe vinum habente, colligere mandauit: ſtatim ſimilibus vulneribus Laurentium affecit, & Franciſcum, ac in idem vas vtriuſque ſanguinem immiſſit; neſcientibus illis, quid volebat facere.

Sanguinolentis ſic abſolutis cæremoniis, Diuatàm magno vocis inuocauit quiritatu: & timorem omnibus

bus incussit circumstantibus, cum execrationes addidit horrificas: caninàque facundià, Diras vltrices in sui ipsius caput accersiuit, si forte amicitiam, quam Fratribus, tunc conglutinabat, aliquomodo, aliquandoue, rescinderet: iacturà vitæ exequi, promittens. Coegit illico Laurentium, & Franciscum, amicitiæ eius se cõstringi verbis, ac diuidens, in tres partes, mixturam vini, & sanguinis, prius imponendo vas supra vniuscuiusque caput, sibi, & Fratribus barbaram potionem propinauit: qua hausta, ingentem ciuit iterum clamorem, & vtrumque amplexans, amborum capitibus cidarim aptauit suam, sicque coronidem imposuit inuiolabili iuramento, apud eos Sandùgo nominatum.

Ad metam adhuc calamitates Fratrum, quæ, per seruitutis stadium, habenis excurrebant luxis, non steterant: nam licet Mangauo, apud quem sancta erat sui iurisiurandi Religio, amicitiæ, & promissæ incolumitatis thesseram inuiolatam conseruare, in animo semper fuit: attamen aliorum Dynastarum, in Ministros Euangelij, & cæteros christianos, fera, & conspirata voluntas in benignitatem redigi restabat. Desiliens ergo de nauigio Mangauus, Franciscum secum deduxit: relicto ibi Laurentio, vexationibus captiuitatis, afflictionibusque valde debili, & languore quassato graui: cuius tutamine filium suum Zancalàn, & alios satellites præfecit: maximopere commonefaciens eos, imperans, & prædicens, quod si aliquis læderet in minimo Laurentium, ipsorum se capita resecturum: ideoque ipsis persuasit, eligere prius mori, quam, ab aliquo maletractari Patrem, sic permittere.

Quibus dictis, postquam redijt, & discessit à lembo, ac peruenit, quo cæteri Reguli ebrietati, & crapulæ se dabant, magna commota fuit seditio: petebant enim

H ipsi

ipsi vnum è Fratribus, vt Diuatæ immolaretur suo: qui-bus respondebat Mangauus, lege, & iure Sandùgo se teneri, ideoque ad ipsum spectare, acri, fortique animo, Fratrum vitam ab iniurijs omnibus, quibuscumq; calamitatibus, redimere. Ferociter vrgebant Reguli, & eorum impetus fortiter reprimebat Mangauus. *O qualiter* (exclamat S. Petr. Chrisologus Serm. 131.) *oculos claudit liuor, quantum iudicium cordis nequitia præiudicata confundit. O quam durè amputat obstinatio rationem: sensus humanus peruersus audire non potest, quod semel statuit odisse, malis bonitas exosa, iustitia iniustis inimica.* Pertinaciter instabant sanguinis Religiosi auidi, & tutor, ad singulare certamen, cunctos lacessebat. In his contentionibus, insomni traducta nocte, multoties ad necem Franciscus parabatur: cum aduentante die, quidam eorum, Dumblag dictus, inire prælium cum Mangauo tentauit: nauigiumque, in quo Laurentius erat, expugnare contendens, à Zancalàn, & satellitibus, pro illius defensione, impetum omnium sustinentibus, aditus fuit ipsis, fortitudine inuincibili, prohibitus. Tandem Dumblag prius abire constituit, quam fugere cogeretur: & insanienti, ac furioso animo, è portu soluit oram, in omnes excandescens irà.

Ipsius discessu, pacatis reliquorum animis, Mangauus spiculatores misit, vt Laurentium asportarent, & sisti coram se facerent: quibus iussa explentibus, ad eius conspectum ægrotus Pater accessit. Eum, vt Mangauus, magna suorum caterua stipatus, vidit, maximam, gratulabundam que salutem, ad suum pectus adstringens, in eius sibi iucundo aduentu, illi deprecatus. Protinus Hispanum vinum, apud eos magno æstimatum, præcepit promi: vt propinationem in duos Fratres

tres circumferret, & etiam pateras postulauit. Sedulò intulerunt famuli sacros calices, ex Monasterio Tandaghensi, & Bacuaghensi ablatos, quos cernens Laurentius emarcuit, & zelo domus Domini perculsus, licet exanimatus, eos arripiens, velo, quo trahebantur cooperuit deuotissimè: lachrymis que illi ex oculis obortis grandibus, Mangauum rogare cœpit, ne Domini Dominorum prophanaret vasa, si prosperitatem, & salutem appetebat; iramque eius super se vltricem suscipere nolebat.

His permotus Regulus, è conspectu suo, ea corripi, ac custodiri iussit: & surgens de sedili, Crucifixi *Domini* Iesu imaginem, quam Zancalàn ab ipso Laurentio, in captiuitatis initio, extorserat, ostendit. Ad eius conspectum genuflexus Pater, longo alio lachrymarũ imbre, vnicum effectorem omnium adorauit. Erat tunc Mangauus horrore, & metu turbatus: ac aliam, etiam Crucifixi patientis, imaginem, sacrilego ausu, in Monasterio Tandaghensi ab ipso discerptam, illico monstrauit, & contremiscens *Laurentio* tradidit. Obuijs manibus, & brachijs ipse Christum amplexus, in suum pectus recondidit, fletus, & suspiria fundens: attollens que eum, clamoribus magnis, ad illius cognitionem tam ingentes animorum motus excitauit, vt audientium stupore, & Mangaui confusione, verè cultores Dei omnes adstantes putarentur: sed quia obstinatum in suo sensu pessimo, cor eorum nõn erat paratum ad sublimia, ideo infœlicitas in vijs eorum, salutemque non agnouerunt.

*E*xtremo hoc spectaculo, summis lamentationibus vndique digno, Mangauus Laurentium allocutus fuit: se de eius imbecillitate maximè dolere: quapropter velle illum dimittere, & in munitam Hispanorum at-

cem collocare: retento Francisco, vt sibi consuleret, illis irruentibus: idque parata triremi, integra fide, egit. Laurentius subinde, ex morbo recreatus, pristinas collegit vires, & ex diuturna seruitute in libertatem Franciscum vindicauit: qua laboribus pro Christo finem attulit.

Aliquo transacto tempore, ab effuso Christi Ministrorum sanguine adamantina corda illarum gentium amplius mollita fuerunt: redditaque tranquilla pace; Ecclesias, & Monasteria nostri restaurarunt: nouasque exinde colonias struxerunt, ac multas animas Domini iugo subiunxerunt: inter quorum zelum maxime affulsit ille, quem P. Hiacynthus de Sancto Fulgentio habuit, in illius Regionis prædicatione: nam dum Prior esset Conuentus Tandaghensis, ad insulas de Dinagàt, Baibaiòn, & Sandegàn profectus, quingentas familias ad fidem reduxit, & manu propria baptizauit. Hunc Patrem, & multos alios, à diuersis periculis, & naufragijs Diuina prouidentia liberauit: quibus compertum videtur, in his missionibus, Deum sibi multum complacere, vt pie credimus.

Denique infœlicem finem Mangaui narrabimus, huncque Manipulum ligabimus: conscius namque delicti sui, ad Dominum conuerti, & suorum atrocium scelerum pœnitere tardauit. Cui Diuina iustitia satisfactionem pro noxis, etiam in hac vita, imposuit pertinaci reo, ita disponens, vt inopinatò, à cancro quodam marino, in manu, acriter morsus, doloribus disrumperetur acerbissimis. Medicos vndequaque proprietates herbarum apprimè callentes ad sui curationem, accersiuit, qui salutarem opem ægritudini apponentes, illum restituere sanitati nequiuerunt. Ait enim Paschasius lib. de Corp. & sanguin. Chri-

sti. *Impossibile est per medicinam vllius artis sanari, quem Diuina vltio premit.* Sic arido brachio, dolorum magnitudine confectus, è vita miserabiliter migrauit.



MANIPVLVS TERTIVS

In Butuanensis fluminis tractu Euangelij annuntiationem complicat:



DEO nostrum animos amor Dei, & proximi occupauerat: vt per idem tempus, quo Charagæ oris, Euangelij face, lumen adhibebant, Butuanense flumen, inter omnia illarum Insularum maximum, similiter, in sua prædicatione, collocauerint. Eius capaces margines, quam multæ excolebant gentes, barbaricis præceptis eruditæ: à veri Dei abalienatæ cognitione: vitiorumque cœno hærentes, velut expertes penitus rationis. Flagitiorum huic sentinæ demoliendæ, ad ostium fluminis, spirituale castellum, ex aduerso fuit oppositum, sub Sanctissimi Ioseph Virginalis Sponsi protectione.

Tanquam ex equo Troiano, exierunt ex illo, qui dictæ multitudini ignem Diuini amoris cœperunt admouère: tribulos, & spinas cordium conuellerunt; legemque Dominicam, non sine labore, statuerunt. In hac expeditione, effulsit valde Patris Hiacynthi de Sancto Fulgentio animarum zelus: *quo* (vt ait D. Greg. hom. 22. sup. Ezechielem) *nullum Omnipotenti Deo maius sacrificium*. Ipse enim ripas illius fluminis introrsus peragrans, quinquaginta leucarum itinere, fidei mysterijs informauit plurimos. Eum postea alij secuti fuere. & veritatis luce perfidiæ tenebras in fugam coniecerunt: Lailaiense Monasterium erexerunt: non mi-

norem

norem que fecerunt progressum, in habitatoribus Caghaianensis fluuij: vbi grauibus, durisque fracti aduersitatibus;alterius Monasterij locarunt fundamenta.

Illic accidit quod quidam ex illius Regionis conterminis: quos, vt Christo lucrifacerent, nostri sibi conciliauerant: cum ipsis iam illi suam oppignorassent fidem, se, reiecta gentilitate, christianam amplexuros esse Religionem: animi cœcitate ducti, oppidum illud diripientes, eius habitatores captiuitate, morteue affecerunt,& ad Monasterium vltimo venerunt deuastandum, ac Ecclesiam omnibus vacuam reddiderunt ornamentis, cuiusdam que Patris cellam intrauerunt, & vt vitâ priuarent, ad illum affectàrunt viam, *Deus* verò, cui cura de illo erat, & ad aliorum salutem, illæsum decreuerat seruari: ita eum illorum celauit oculos: vt lento gradu, ipse, per medium illorum, iret in vicinum montem, vbi latuit, vsque ad tempus Euangelicæ prædicationi magis opportunum. *Non enim* (vt M.P. August.ait Epist.180. ad Honoratum) *quisquam est, qui dicat Ministros manere oportere, vbi iam non fuerint, quibus necesse sit ministrare. Ita quidam Sancti Episcopi de Hispania profugerunt, prius plebibus, partim fuga lapsis, partim peremptis, partim obsidione consumptis, partim captiuitate dispersis*. Fuit quidem illi Dominus in Deum protectorem. & locum refugij, vt eum saluum faceret, quando, irruentibus hostibus, vsque ad ouilis permansit exterminium.

Animarum nostri adhuc sitibundi, in omnium trahebantur desiderium: quamobrem aspera montium iuga, cœnosos lacus, & inuia loca, horridaque dumetis, superantes, in oris de Baiug verbum Dei seminarunt: plurimos que, ab ostio Caghaianensis fluuij vsque ad Baiughense, & Laiaguanganense littus, Iesu Christo

per

per Euangelium genuerunt.

Hic erit nefas memoriam prætermittere nobilis cuiusdam fœminæ, quæ nomine Aetnico, vocabatur Calimàn. Hæc enim maiorum suorum antiquitate glorians, auri circumfluebat copijs, & multorum mancipiorum tenebat dominatum. Prædita erat oris admiranda pulchritudine quam libidinum colluuione, obscænitatibus, & lasciuijs deturpabat. His miserijs volutabat ipsa: cum nostri, quasi tuba, exaltantes vocem suam, Butuanensi populo, eorum peccata annuntiauerunt. Audiuit, & percepit Calimàn: potuitque Domino, cum Magno Parente Augustino, dicere lib. 10.Confess.cap.27. *Vocasti, & clamasti, & rupisti surditatem meam: coruscasti, & splenduisti, & fugasti cæcitatem meam. fragrasti, & duxi spiritum, & anhelo tibi: gustaui, & esurini, & sitio: tetigisti me, & exarsi in pacem tuam.*

Adducta namque ad Christianam Religionem. charitatis operibus intendens: ita sacro se Baptismati præparauit suscipiendo, vt vniuerso populo magnam, sua conuersione, admirationem excitaret. Ante diem lustricum, complures manumissit seruos, quibus, tyrannico iure, imperitauerat: & erga Ecclesiam, pauperesque munifica, eleemosynas eis contulit copiosas. Cum diem illum vidit, qui mentem illustrauit, & expiauit animum, ad sacrum fontem, Regni Dei siticulosa accessit: in vitamque renascens æternam, salutaribus fuit immersa vndis. Ibi nomen optimum, ipsi inditum, Clara: vt vilibus, corruptis, deprauatisque moribus, & gentilitatis caligine excedens: honestis actionibus, probris, & ingenuis virtutibus, Christianitatis luce, clarescceret.

Munda iam regenerationis lauacro, de die in diem radi-

radices agens in fide profundas, de virtute in virtutem celeriter tetendit. In perlegendis Christianis libris, in patriam linguam adoptatis, assidua, magnam diei partem consumens; Diuini amoris igne fœliciter exarsit, & sacra frequenter repetens, insigne emendatæ vitæ exemplum omnibus proposuit.

Vt se totam Deo, pietatisque, & Religionis operibus, omnino, manciparet: in cœtum mantellatarum sacri Ordinis nostri, mortuo iam marito, cooptari petijt: & intensius charitatis actibus dedita, supplicibus precibus, à Priore Prouinciæ Sancti Nicolai, instantibus etiam Fratribus, impetrauit. Constituto igitur, quodam festo die, vt Eremitano indueretur habitu: ad pium illud, & deuotum expectaculum, hominum multitudo, vndique, confluxit. Tunc adstantibus omnibus, & admirantibus, à Patre Hyacintho de Sancto Fulgentio, Priore Butuanensi, Mantellatis nostræ Cõgregationis fuit adscripta. In teneros interim Clara erumpebat gemitus: & tanquam imbres, ex oculis prosilire lachrymæ: boni propositi renouando affectus, vt ab omni aliâ rè, ad solum Dei cultum, animi, & corporis contentione, cogitationes suas traduceret, quem toto corde amare decreuerat, in odorem suorum vnguentorum currens.

Signum pœnitentiæ adepta, rè maxime comprobauit: nam ab illa die strictioris vitæ rationem iniens penitus se in virtutum omnium immersit exercitium breuiter que summam earum tenuit. Habitu vestita asperrimo, & tunicâ interiori, ex rudi stamineà, cilicioque continuo, setis horridis contexto, carnem macerauit, quæ blandis olim delicijs exultauerat. Quotidie se verberationibus seuèris castigauit: inuiolatum, austerumque, quoad vixit, ieiunium obseruauit: tenuissimo

solùm herbarum victu vtens, quo contenta, dicere semper à Confessario interrogata solebat: se nullo modo, fame, aut siti, quandoque molestari.

In rerum Diuinarum contemplatione animum, & cogitationem figens, excogitauit vias illius, in corde suo, & requieuit in ea. Ad ortum enim Solis, cum in Monasterio mentalis orationis (prout mos est in Congregatione nostra) dabatur signum: introduci in cellam vinariam Domini ardenter sitiens: ad vocem dilecti sui pulsantis, amoris accurrebat stimulata aculeis, & genuflexa ante altare, in Ecclesia, tanquam si esset immobilis, quatuor horarum spatio, permanebat. Deinde attente, & deuote, Diuinis adstabat rebus, tribusque hebdomadæ diebus, effundens ingentem lachrymarum vim, Sacramentum Augustissimum sumebat Eucharistiæ, cuius sacrosancto nectare refecta, ignem spirans, ab illa mensa recedebat.

Domum reuersa, per occupationes charitatis ducebat spiritum: & ab illa, quando opus erat, excèdens, graui morbo affectos visitabat: pijs que alloquijs, ac salutari oratione confirmans, proprijs manibus, cibum eis ministrabat, quem pauperibus ipsa in cunctos munifica erogabat, & magna cura libenter condiebat. His pijs negotijs, tenuique sumendà refectione, erat distracta, vsque ad vesperarum signum: cum iterum Ecclesiam introibat, aquarum viuentium siti laborans, illarumque anhelans suauitatem, genuflexa, secus pedes Domini, vsque ad ocasum solis, in profunda oratione, audiebat verbum illius.

Nigro noctis obducto pallio: ad infirmos, si qui erant, extremo vitæ discrimine, & momento spiritus constitutos, accedebat: sanctisque monitis, ac verbis efficacibus, moribundum, ad æternorum desiderium inflam-

inflammans, iaculatorijs orationibus; quas libello quodam exaratas habebat, spiritus ardore, & animo, obeuntem prosequens, auxilio pio iuuabat. Egressa anima de corpore, ipsamet cadaueri funebre adaptabat, & insuebat velamen, quod misericordià commota, pauperi defuncto elargiebatur.

Eximijs suis virtutibus, & exemplis, Clara iam vas honoris, quæ olim erat contumeliæ: ita omnibus veneranda extitit, vt; ea præsente, aliquid indecens nemo facere præsumpserit: quod etiam in ludis publicis (iuxta illarum nationum morem) compertum experientià: nam, vt Christiana grauitate fierent, eam Patres ad illos mittere solebant: scientes, suo conspectu, actus corrigi, & honestari omnium.

Ex annuis proventibus, & terræ fructibus, quibus erat abundans, tres efficiebat diuisiones: primam applicabat Ecclesiæ, & Monasterio, humilique consecrabat animo: secundà pauperum inopiam subleuabat: & tertiam suæ domus sustentationi, quotidianis eleemosynis, sacræ que insuper supellectili reparandæ, reseruabat. Sedecim annis à sua conuersione transactis, prædictis que exercitationibus, indefessè consumptis, in morbum incidit: & Ecclesiæ se muniens Sacramentis, ac egregias virtutes proponens imitandas, è militiæ sanctæ laboribus ad cœlestem triumphum euocata excessit.

Quædam etiam alia fœmina, per idem tempus, in oppido Butuanensi, à nostris, claritate Euangelica eam Prouinciam illustrantibus, à falso cultu ad Religionis Christianæ traducta veritatem, non minoribus fuit insignita virtutibus: nam rubigine Adami culpæ, aquà salutis libera, & Elisabeth decorata nomine, magnos progressus in Catholica fide fecit, Neophytorum

omnium spiritualis Mater, compluriumque Magistra populorum. Hoc munus illi committere, placuit Euāgelizantibus nostris: quia procliuius, rudimentis, ac mysterijs erudita fidei dilatandæ Christianæ Religionis zelus in ea, mirum in modum, refulgebat.

Ablegabant eam Fratres disseminantes verbum Dei, cuiusuis oppidi exturbato Diaboli dominio: vt nubiles virgines, & puellas, ad lumen salutis allectas, sacræ disciplinæ mysterijs, ac moribus vrbanis initiaret. Cui operi inseruiendo, eligebat domum, in qua, veluti elementario ludo, viam, ad optima quæque, commissæ sternebat iuuentuti: per quam secura tenderet, vt ad supremam sapientiam duceretur. Quotidie, præscriptis horis, in Ecclesiam conueniebat, & confluente populo, rudimenta fidei in ignorantes intrudebat, mira oris honestate, & concinna verborum suauitate: tunc magno animarum zelo, Catholica proponebat dogmata: Diuinoque liquefacta amore, lingua eius, tanquam calamus scribæ velociter scribentis, maximo feruore, mouebatur.

Cum, Patrum præcepto, intrabat oppidum, quod salutaribus erat cœli medicinis, notitijsque, sanandū, & lue purgandum gentilismi: per vicos, & plateas virago clamans, Regni Dei appropinquationem enuntiabat omnibus. Deinde per domos discurrens, effrenatos pertinacium animorum motus, cupiditatumque rebelles impetus, verbis ignitis, cohibebat: truculentamque, luporum velut, rabiem flectens, mansuetos, sicuti agnos, ad fidem afferebat amplectendam, & seruandam.

Coniuge vita functo, habitum Mantellatarum nostræ Religionis, de manu Patris Hyacinthi de Sancto Fulgentio, tunc Vicario Prouinciali, accipiens: diu ti-

ne

nè hæc pia munia, multo liberius, ac diligentius, absoluit: magnasque animarum copias Christianæ attraxit Religioni. Toto vero Butuanensi tractu iam suaui iugo Domini subiecto; exultans spiritus eius, in Deo salutari suo, in contemplationis dulcedinem se contulit: vbi apponens nidum suum, omnium virtutum exemplar illustre, Angelicam velut vitam ducebat in terris. Claræ Calimàn lateri adhæsit, & eius insistens vestigijs, illiusque pœnitentiæ æmula: populares suos, ad superstitiosos ritus, gentilitatis reliquias, & vitia, penitus eradicanda, magnopere commouit, ad studiũ incenditque virtutum.

Charitatis insuper ardore, erga ægrotos, resplendens, cum ab oratione vacabat, humiliter ipsis seruiebat: eosque ad patientiam exhortans, grauitate morborum recreabat: quapropter Fratres nostri, vt charitas eius omnibus esset communis, ægrorum domicilium in oppido ipsius erexerunt, cui Elisabeth Præfecta, circumiens ipsamet oppidum, ac conuicinos terminos, inquirebat pauperes, quos, inueniens, humeris portabat: & salutarem opem prius eorum apponebat animis, deinde corporibus medicas adhibebat manus, & pellere morbos procurabat. Statutis horis, in ipsorum inopiæ auxilium, emendicabat quotidianum victum: spirituali que cordis lætitia (quam D. Bonauent. Spec. Disciplinæ p. 1. cap. 3. ait, *esse maximum inhabitantis gratiæ signum*) his actionibus occupata, interioris gaudij modesto risu, semper gestiens, suorum adauxit præmia laborum, quæ Diuinà misericordià, iam consecutura, extremo afflictata morbo, Sacramenta sancta suscipiens, obdormiuit in Domino.

MA-

MANIPVLVS QVARTVS

Prouinciae Calamianensis, & Cuyo, ad fidem, reductionem adstringit.



IGINTI Fratribus ex Hispania transmissis: vt spiritualis militiæ Sacramēto adstricti, iterum, atque iterum aduersus Dæmonem tyrannide opprimentem animas, ipsi clarigarent bellum: aliam nostri expeditionem molientes, excursionem egregiam compararunt, à nouis militibus adoriendam, in Prouincia de Calamiànes, & Insula de Cuyo: quæ licet aliquādo lucem Euangelij viderant: Ministrorum iam destitutione, denuo se idololatrijs, & vitijs implicauerant.

Ferebant hoc ægre nostri: & cooperantes Deo in salutem animarum: quod: vt ait D. Dionysius Areop. cap.3. de cœlesti Hier. *est omnium* Diuinorum *Diuinissimum*: statim ad eos, qui antiqua repetebant scelera: & in mortem iterum relapsi, vitæ æternæ despiciebant præmia, animarum suarum Medici venerunt: vt eos sanarent cœlestibus remedijs. Omnia ex sententià illis profuerunt, postquam, in Insula de Cuyo, Magno Augustino Patri dicatum fuit domicilium: aliaque simul ædificata fuere, in Calamianensi Prouincia: cuius salus nostris Ministris attulit laboriosam operā, magno vero solatio plenam: plurimis familijs, ad cogni-

gnitionem Dei, præter reductos apostatas, attractis: quo fœlici euentu, paulo post, in Insulas de Romblòn fidei veritatem attulerunt: illarumque gentium corda illuminarunt, & Baptismatis regeneratione, à miseris eorum mundauerunt sordibus.

In Calamianensi missione, Pater Didacus à Sancto Thoma, prædicans, & Euangelizans Regnum Dei, copiosos cœlo percepit fructus, durosque, ob eam caussam, labores superauit: incommoda multoties magna, inediamque perpessus. Aliquibus tandem, in eo ministerio, traductis annis, in quodam maris deserto littore, iucunda laborum pro Christo recordatione, quæ ei, morbo læthali afflicto, solatium adhibebat: suæ peregrinationis peragens cursum, velaque fructuosæ prædicationis, meritis plenus, colligens: dum in portu terreno corpus reliquit, anima eius cœlestem attigit. Mortuus quidem fuit Didacus: *Sed & securè* (vt ait D. Bern. Epist. 105. ad Romanum) *quippe cuius mors, vt præsentis fuit exitus vitæ, ita introitus melioris.*

Pater etiam Ioannes ab Annuntiatione, illarum idiomatum egregius Prædicator, Apostolico zelo clarus, virtutibus, & exemplis inter gentiles coruscauit: quorum salutis anxius, imprætermissè verbum Dei per terrea illorũ serebat corda, ipsisque insinuans Regnũ eius, ad fidei sanctũ iubar, nitidosque illius amoris alliciebat ignes: cũ corpus diuturnis laboribus afflictũ, cuiusdam mõtosæ Insulæ solitudine, inuictus animus deseruit. Idẽ corpus postea à gentilibus repertum, magno fuit honore tumulatum: virtuti enim inditum reuerentiæ specimen. Excepit Ioannes mortem hilaris, quia ad eam se diu composuerat: & quoniam legitimè certauit, in cælis manebit coronatus.

Harum

Harum gentium reductione facta, dum aliam meditantur nostri: generis humani exosor, sibi bellum moliri videns, iracundiæ rabie, effudit furoris virus, infestamque in Ministros salutis, & recentes Christicolas suscitauit vexationem. Dominabatur, quodam tempore, maiori littorum Mindanài parti Mahometanus quidam, Ruisàn dictus: cui æqualis penè erat alius eiusdem farinæ Rex, Silongàn vocatus, in mediterraneo imperio potens. Hi duo, fœdere conglutinati noxio, auxiliares confinium conuocarunt copias: parataque plusquam centum triremium classe, calamitatẽ, & perniciem illis insulis intulerunt magnam: multa expilarunt oppida: Ecclesias, & Monasteria deuastarunt: sacra prophanarunt vasa: Ministros Euangelij, compluresque Christianos, in captiuitatem redegerunt.

Talibus occupationibus implicatus Ruisàn, vitæ peragens periodum, in locum miseriæ, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, infœliciter pœnas soluturus descendit: & Regni, morumque, hęredem habuit filium suum Corralàt, qui versutus, & vafer natura, stabilitam pacem cum Hispanis multoties lædens, ditionem suam auxit: & Insulanis summè formidabilis, Patris exempla secutus, vbique infestabat maria. Voto etiam nefando se Mahomàt strinxeràt: dum acuto laboraret morbo, quemcumque Ministrum Euãgelij inuentum, crudeli morte, ipsum affecturum esse.

Conciliauit sibi amicos, vt effrenatius perpetraret mala, alios perfidi Mahomètis sectatores, Insulæ de Iolo incolas, qui licet pauci numero, sunt tamen robusti viribus: ex quibus exijt Dynasta ille, Dato Achèn vocatus, inter omnes Archipelagi Pyratas famosissimus: cuius auxilio, spe, & animo, ipse Corralàt

inflatus,

inflatus, conuocauit Regem de Burnèi, suis stipatum fiduciarijs, ac alijs: quos Camucònes dicunt, & instruxit ingentem classem, pugnatorum, & remigum refertam: vehementiori que impetu, Patrem suum Ruisàn superans, exacerbauit maria, & sui nominis terror cunctas concussit insulas.

Vbique suam potentiam diffundebat: cum quemdã Maurum, Thagàl nomine, rei maritimæ ab ipso Generalem Præfectum, vallatum triremibus, dimisit: vt arcem Hispanorum de Samboangàn oppugnaret: quà ad deditionem coactà, faciliter tenuit Insulas de Cuyo, & Calamiànes: vbi nostri disseminabant verbũ Dei, propria que habebant domicilia.

Thaghàl ingenti perfruitus est lætitia, vbi primum cognouit Euangelij Ministros ibi permanère: quos vinctos perducere in Mindanàũ, & ante Corralàt Regem sistere, decreuit, vt ipse votum suum nequam Mahomat exolueret: extinctà (vt putabat) iam Religione Christianà. Irruit ergo in oppidum de Cuyo, idque captum permisit diripiendum: & primo Ecclesiam, ac Monasterium inuadens, Sacerdotales vestes, argentea vasa, sacris vsibus deputata, reliquamque supellectilem impunis abstulit. Deinde sacras imagines confringens, & maximà irreuerentià, impudenter tractans, sacrum violauit locum: Patrem Franciscum à Iesu Maria vrbis Granatensis, & eiusdem Cœnobij Lauretani alumnum, generis, & virtutum splendore clarum, ducentosque Christianos: cæteris, cum alijs Fratribus, fugà dispersis, captiuauit, & igne adiecto, Ecclesiam, Monasterium, oppidumque vastauit.

E sacris iconibus expressam linteo vnam in maximà Ecclesiæ arà collocatam, ab incendio reseruauit, quæ dulcissimi Augustini Patris repræsentabat admirabilẽ,

 visionem

visionem illam, cum ipsi, quadam die, altissimâ oratione immerso; ab vna parte Dominus Iesus apparuit, vulnera ostendens, quæ propter nostras susscepit iniquitates: ex aliàque Beatissima Virgo Mater similiter vbera demonstrans, quibus, ob nostram salutem, ipsum lactauit Deum: vtque, in teneris amoribus, Filius, & Mater Augustino essent, animo fluctuante, illa verba fudit. *Positus in medio, quò me vertam nescio. Hinc pascor à vulnere. Hinc lactor ab vbere.*

Piam ergo effigiem, quæ amore Filij Dei, eius que Matris Virginis, ac Summi Doctoris, conspicientes afficit, in modum pallij sacrilegus Thagàl aptauit; ac tumidus, & superbus, se Deum Christianorum ducere captiuum iactans: vinculis constricto Patre Francisco de Iesu Maria, in prætoria eius triremi, cæterisque captiuis Christicolis, tota classe, diuisis: citra pulueré, & sudorem encomia victoriæ, tubis, & simphonijs, cecinit, anchorasque tolli iussit, Ministros alios iturus conquisitum: in quos præcipuè omnis vigebat persecutio.

Habebant in hoc Classiario Duce vinculum quoddã cupiditas, & Christianæ Religionis odium, ac cum illo, quasi cognatione, inter se connectebantur: itaque, elato animo, Ministrorum Dei pressuræ sitienter appetens: Insulanorum etiam vorandi fortunas auidus, terram Calamianensem legit: simulataque pace, Dynastam quemdam, oppidi Càsimalàn, sibi comparauit amicum, cui cautionem præbuit: periculi vacuas, & expertes eas insulas esse, promittens: si Sacerdotes omnes proderentur. Maluit Bancaia, ita ille appellabatur, cœli diuitias permanentes, quæ à Ministris Christi dispensantur, prius perdere, quam caducas huius Mundi, & fragiles: pactoque inito tradendi, quos

cauère

cauère capite debebat, intempestæ noctis silentio, deducens è triremibus Thagàlem, numerosamque eius stipendiariorum turbam, per saltus, & loca inuia, ad oppidum duxit: in quod peruentum est, iam illucente die.

Agebat ibi moras, euangelizans Regnum Dei, Pater Alfonsus de Sancto Augustino, vrbe Gaditanà ortus, conuentusque Manilensis Sancti Nicolai filius, & antelucani temporis (prout mos est in nostra Congregatione) finita oratione mentali, cœlestem volebat immolare hostiam: cum Christiani nominis hostes, frementi impetu, Ecclesiam, & Monasterium inuaserunt. Erat tunc Christi Sacerdos, in sacrario, consuetis iam indutus vestibus: auditoque impiorum tumultu; non territefactus spiritu, venientes lupos hilariter excepit, qui furibundis vociferationibus, ipsum harpagantes, tanquam canes perculsi rabie, circumdederunt eum, infligere que ori eius colaphos complures, & subigere totum corpus duris, cœperunt, calcibus.

Coram cædentibus se obmutuit Alfonsus, & sustinuit constanter probra: verusque humilis præclara reliquit exempla ferendi pro Christo iniurias. Postea quemdam è satellitibus, Matris gratiæ, & misericordiæ indecenter imaginem tractantem, duriter arguēs ab eo in gutture vulnus accepit. Spectaculum istud, impudentissimorumque hominum ausus, magis torquebant Alfonsum, quam vulnus, alapæ, & tunsiones: multotiesque flagitabat, se prius velle cunctis mactari supplicijs, quam reuerentiam iconi Matris Dei adimi videre.

Lamentabili finita scœnà, magnàque vi lachrymarum digna, Ecclesiam, & Monasterium furantes deuastarunt, receptuique cecinerunt, vt partæ victoriæ fe-

ſta celebrarent, & exinde alios caperent Miniſtros: quod ita caſus tulit, alterà adueniente luce, cum Pater Ioannes de Sancto Nicolao, Curiæ Matritenſis, & Cõuentus, germen, ac Calamianenſis eiuſdem Prior: qui circumuicina oppida, prædicationis officio, luſtraturus exierat: per inſidias ab ipſis interceptus, ac in triremē, in quà Pater Alfonſus de Sancto Auguſtino, pro Chriſto, vexatus manebat, ſimiliter adductus, vinculis oppreſſus in cuſtodiam traditur.

Thagàlis optatò aduenerant, quæ in oppido eo acciderant: cum pactionem cum Bancaia initam frangere decreuit: quod vt incolarum cœtus agnouit, derelictis domicilijs, contulit ſe in fugam. Tunc placidè ille oppidum in direptionem dedit, vigintique ex oppidanis, qui remanſerant, in ſeruitutem redactis, oram ſoluit, & claſſem direxit, inſulam de *Diuail* verſus: cuius habitatores, audito dolo in Calamianenſi perpetrato, timentes potentiam eius, Miniſtris, ornatibusque Eccleſiæ in tuto poſitis, terga dederant velociter. Fefellit ergo Thaghàlem ſpes ſua, cum aduentans ipſe in Diuail, nec Miniſtros, nec inquilinos inuenit: attamen ſeptem mulierum, ac rerum eorum tunc parte prædà contentus, exploratores dimiſſit, habità notitià manſionis noſtrorum Fratrum, vt ipſos inquirerent: obſtrigillans autem Inſulæ cultorum inſidioſa cohors illos gradum reuocare còegit.

Iſtis exercitijs furcifer, in multas inſulas pyraticam exercens inuolauit: & ferro, flammaque, euertens omnia, latrocinijs iam diues factus, Mindanaum repetere curauit: vt Regi Corralàt rationem redderet, gratumque præbens obſequium, tres comprehenſos Patres, Chriſtianoſque pene ſeptingentos in eius ſeruitutem daret: alijs ipſorum multis è vita migratis, incediæ,

diæ, ac penuriæ vexatione: quæ omnia Patres ipsi, inter verbera, & ludibria, experti, sacro Augustiniano spoliati habitu, crudelem, & inhumanam tolerarunt nuditatem; famémque pertulerunt diram; apposita, in cibum, sordidà solum, & conspùtà orizà, cui aliquando, veluti gulæ irritamentum, piscis addebatur putridus: mollis culcitra fuit ipsis abiecta palmarum storea, cœlumque suis inclementijs stragulum.

Ad Insulam de Mindanào, onusta rapinis, aduentante classe, tristia, & acerba de captiuitate Patrum, aliorumque Christianorum in arcem de Samboangàn, iam ab Hispanis instauratam, perlata nuncia fuerant, quæ ægro animo audiens, eius Custos Bartholomæus Diaz Barrera, Catholico hominis Hispani zelo, quinque præparatis triremibus, quas in portu habebat, maximum militum Ductorem Nicolaum Gonzalez præfecit, vt nocturni temporis silentio, venientibus de nefandis sacrilegijs obuiam iret, eosque in sagittarum promontorio expectaret: quo Dœmoni, seu impio Mahomat, pro comparata victoria, gratias acturi, spiculaque, intentis arcubus emissuri, iuxta eorum ritus, infallibile erat conuenire.

Vegeto, ac præstanti animo, Nicolaus Gonzalez moriger Præfecto arcis, ab ea festinanter discessit, forti militum stipatus manu, & in dictum perrexit promontorium, quod classis inimica debebat salutare: ad illudque tam tempestiuè accessit, vt præstolatus tàtum, per aliquod interstitium temporis, gratulabundo eam venientem gaudio. Illunis nox erat, nigris que fœda nubibus: cum ad eum locum, Barbarorum appropinquans cœtus, nec dubià luce, Hispanorum insidiantē aciem allucinàri potuit: iamque scopulis applicabat ratem, vt vanæ Religionis iniquas impleret cæremo-

nias,

nias, inaniaque vota redderet: cum Iacobi Apostoli inuocato nomine (prout mos Hispanorum fert) Nicolaus Gonzalez suscitatus irà, militum incendens animos, vt illatas iniurias Deo, Catholicæque Religioni expeterent, igne, ferroque, rem totam decreuit.

Præter opinionem hostilis excepta classis se velut laberintho statim innexam sensit, sed feroci audacia reuocando vires, nauale fuit incœptum prælium, ancepsque victoria fuit; donec, media vertente nocte, quæ proxima erat festo Beati Thomæ Cantuariensis Præsulis, Deo auspice, cuius agebatur causa, fœlicitas Hispanorum conflictui aspirauit secunda: nam quinque victis hostium triremibus, (reliquis veloci fuga saluti consulentibus) Thaghàle que Generali Nauarcho de medio sublato, & in tartara misso, vt suorum scelerum afficeretur pœnis, Nicolaus Gonzalez, canens triumphum, victoriam reportauit.

Captas illico Hispani triremes occuparunt: latibulo que inclusà luce, interfectos hostes, ac vulneribus cruentatos numerabant, cũ Patrem Franciscum de Iesu Maria, multis affectum plagis inuenerunt: præcipuèque quatuor transuerberatum plumbeis glãdibus, ab ipsis nescientibus explosis, & in pectoris diuersas partes introductis: quas dignà cunctorum admiratione, in tergo simul vnitas, ac in modum crucis coadunatas conspexerunt, & asseruarunt, posteàque Superioribus illius Prouinciæ tradiderunt.

Sereno vultu, Franciscus iacebat moribundus, & indesinenter beneficiorum se memorem præstabat, quæ sibi à Deo collata fuerant: pro laboribus que, eius amore exantlatis, in diuturna sex mensium, & amplius captiuitate, gratias similiter agebat. Deinde iam extremum effusurus spiritum, fratrem Regis Corralat, læthali

læthali bombardæ ictu perculsum, sua oratione, & exhortatione ad fidem conuertit, breuiter instruxit, & baptizauit, qui statim spirauit animam. Egregium quidem Francisci factum: quia (vt ait D. Greg. Mag. Hom. 3. lib. 3 Dial. cap. 3.) *Maius miraculum est prædicationis verbo, atque orationis solatio, peccatorem conuertere, quam carne mortuum suscitare*. Instabat adhuc ipse prædicatione sua, labores pro Christo appetens maiores: quatuordecim que alios Deo lucratus. Vltimo tandem vitæ momento constitutus, Ductoris Nicolai Gonzalez vlnis acceptus, gaudens in Domino, cui preces pro illius gestilissmi fudit extinctione, palmam, & coronam habens, euolauit ad superos.

Huius sæculi laboribus perfuncto, corporisque relicto ergastulo: magnis impleta terroribus, tota contremuit Mindanài Insula, & pars magna promontorij illius, Dœmonis antiqui domicilij, Barbaris nationibus, temerarià opinione, ac commentitià traditione, venerabilis, à continenti diuulsa corruit, in marique sepulta ipsum maximè turbauit. Postquam vero intremuere vndæ, totaque fuit conterrita tellus, clamorum horribilium, & eiulatuum sonitus aures verberauit omnium: qui subità formidine concussi, ad Christiana arma, & Francisci exuuias recurrentes, Diuinam implorarunt opem, & statim horrendus clamor, motusque terræ, ac turbatio maris cessarunt.

Orta luce, militum Ductor sacrosanctam Domini Nostri Iesu Christi imaginem (quam Thagàl, æternis mancipatus pœnis, tumens superbià, ex linteo dulcissimam Magni Augustini visionem referente, abstulerat, & sibi temerariè blandiens de captiuitate Dei Christianorum, in pallium eam conuerterat: ipsoque, dum miser Catholicà cum classe conflixerat, amictus

occu

occubuerat) ab hominibus, quos ad ipsam, & similitudinem suam creauit, tam in prototypo, quam exemplari, nimis duriter tractatam, reuerenter accepit: omnibus quę eam, sine specie, ac decore proposuit, vt clarissima haberent patientiæ documenta. Denique collectis sacris vasibus, quæ Barbarus haud impunè funestauerat, & Ecclesiasticis etiam ornamentis, adoream fœliciter adeptus, hostiumque potitus spolia, in arcem de Samboangàn rediјt: vbi communi lætitia, ac gratiarum actione, Præfectus, & præsidiarij milites, eius aduentum celebrarunt.

In Regiam Corralat duæ solum triremes iam conuenerant, quæ puppim dantes, abiectis in mare prædis, è manibus Hispanorum emerserant: vinctosque Patres Ioannem de Sancto Nicolao, & Alfonsum de Sancto Augustino duxerant: infaustumque de classe nuncium perlatum, ipsius Regis animum percusserat: cum impotens sui, exardescensque in iras, toruo spiritu, & vocibus, propriam territauit aulam: plenissimamque vindictam de Ministris Christi se sumpturum, suo nequam Mahomat iterum pollicitus, atro illos deuinci carcere, sordibusque, præcepit. Minas deinde, & munera proposuit; vt Christianam Hispanorum fidem abiјcerent, suoque se Prophetæ iungerent; aut se cruciatibus, mortique pararent. Vera tunc Magni Augustini, Catholicæ Ecclesiæ fulcri, germina, prius incidere in quælibet tormenta malunt, quam derelinquere legem Dei: tunc illi incessanter prædicant, & eius in ipsam crimina carpunt; quo ad maiorem iracundiam prouocarunt.

Idcirco vtrumque curauit inedià affligi, vt quos impetus putabat, frangeret, redderetque Mahometicæ sectæ mitiores: intensioribus additis exhortationibus.

Me-

Medullis Ministrorum Dei tribulationis maior inhærebat amor. Acuebat Corralàt iram suam, & Patres suam patientiam exercebant: iniuriasque beneficijs soluere volentes, illum, serijs verbis, acquirere Deo, procurabant. *Præclarum est enim* (vt inquit Apostolus Xauerius Epist. 22. lib. 2.) *vlciscendorum inimicorum genus, si eis benignè facere studeamus*. Furebat proteruus Rex, cognoscens, se, suumque despici Prophetam: & quos in caducæ gloriæ, honoris que fugà (in quà pauci, fortes inueniuntur, & constantes) aduerterat veloces, in domo ferrarià, argentariàque, vbi frequentes tumultus, crimina, & blasphemiæ in Deum audiebantur, detinèri iussit. Patres ibi, die, noctéque, contumelias, & terrores patientes, carnem suam asperrimè domabant: tantòque dulcius quiescebant, quanto labore maiori opprimebantur. His tribulationum sustentati panibus, solidæ virtutis gloriam effundebant: nam (vt inquit D. Greg. Magn. in Hom. sup. Euang. Cum audieritis) *Non est perfectè bonus, nisi qui fuerit etiam cum malis bonus; bonus enim non fuit, qui malos tolerare recusauit*.

In hoc statu res Mindanài erant: cum D. Sebastianus Hurtado de Corquèra, Manilæ vrbis, illarumque Insularum gubernacula tractans; perlata fama eorum, quæ Corralat in Dei, Sanctorumque imagines, Ecclesias, & Ministros, immẽsa facinorũ voragine, ediderat: dolore Christiano perculsus, vindicẽ se huiusmodi iniuriarum præbuit, & decreto facto, classem instruere mandauit: fortissimos que militum imponens nauibus, viuificæ Eucharistiæ refectos Sacramento, à littore Manilæ soluit, postridie Kal. Febr. & in oppido de Othòn, arceque Samboanganensi, haud paucis nauigijs classem confertam augens, in Regium portum, &

vrbem Lamitàn, munitissimamque Corralàt mansionem, multis vndis vexatus, contendit: ac terram legens, & quassatam, dispersamque vasto mari, ipsam classem expectans: cum copiæ descendissent militum, signa conferendi dedit. Post multos vero habitos conflictus, vrbisque propugnaculis duobus, quorum vni præerat Regis nepos; non sine dispendio vtriusque partis, expugnatis: tandem aliquibus transactis diebus, occupauit vrbem: dum Corralàt suorum numerosa turba circumdatus in arcem suam fortissimam, sublimi colle locatam, se citò reciperet.

Vrbe capta, Mahometico expurgato fano, & Virgini Mariæ de bono successu sacro, nesciæ sectæ, ac doctrinæ cathedràque euersà, ex quà venenati duo prosilierunt angues: & Alcoràni libris simul igni traditis: collem asperrimum, bonà militum manu Manilæ Præses ascendere constituit: omnibus que iussit, se sanctæ Ecclesiæ muniri Sacramentis. Deinde ditionem Corralàt inuadens, & cliuum pene inaccessibilem, qui firmo eius tenebatur præsidio, ac angustijs, præcipitijs, insidijs que scatebat, primo, secundo, & tertio, conatus capere, magnà Hispanorum strage, receptui canere fuit coactus.

Postridie eius diei, velut retentà victorià, Corralàt œncomium in aula canebat: radicibus que collis omnem Hispanorum aciem consedère putabat: cum Dux Nicolaus Gonzalez à Generali Duce, per aliam viam arctissimam, præmissus subito cacumina montis, difficiles habentis ascensus, occupauit, & signo pugnæ, prima luce, dato, acriter pugnatum est: donec annuente voluntate Dei, in cuius imaginis defensionem, præcipuè bellum susceptum erat, arcem illam, Regiamque mansionem tenuit.

In

In hoc conflictu, Regis brachium plumbeà pilulà percussum fuit: Reginaque, cum lactente Filio, ruit præceps per præruptum collem: quo misero euentu, ipse Rex consternatus animo, fugà se subducere deliberans, magnoque fluctuans irarum æstu, duos Patres, quos inclusos, & ærumnis affectos custodiuerat, vità spoliare statuit: illicoque, proprijs manibus sacrilegis, pectora fide firma incœpit traijcere lanceà: cuius lateri adhærentes alij, ipso facinore incurrerunt. *Postquam* autem Pater Ioannes de Sancto Nicolao ab eis multa vulnera accepit, suspensus fuit in arbore, ex quà, adhuc viuens, præcipitatus, diuturnis laboribus, certamine glorioso, coronidem imponens, peregit breuis vitæ periodum, & aliam, quæ nullis futuris temporũ spatijs circumscribitur, inchoauit. Corpus eius præcipiti loco occultum, ab Hispanis diligenter conquisitum, nullo modo potuit inueniri.

Patri vero Alfonso de Sancto Augustino maior mãsit de tyranno triumphus: viginti namque sex mortiferis vulneribus affectum, ab scopulosâque rupe deiectum, inter quosdam arbusculos, collis profunditate, Dux Nicolaus Gonzales offendit, & in Catholicum tentorium baiulauit. Magnam in castris patientia Alfonsi admirationem excitauit: multoque maiorem, cum ab omnibus visa fuere tam cruenta vulnera: quibus impositis, vitalem halitum haurire; naturaliter erat impossibile. Habebat primo amputatum brachium, terribili illo falcato ense, apud eas nationes, Campilàn dicto: deinde caput, tribus ictibus, ita disectum, vt coronæ aprehensis capillis, tanquam si pileus esset, eleuaretur, ipsumque cerebrum, anteriori, & posteriori parte, intrinsecus patèret omne: denique totum corpus, velut cribrum, perforatum erat. Chirurgos Ma-

nilæ: Præses sauciato Patri adhibère curauit: sed cui solum lingua, ad fidei confessionem, salua supererat, quælibet erant inutilia remedia.

Quadraginta quatuor horarum spatio, & amplius, suppetijt vita lacero Patri: quam ipse acerbissimos dolores perferens, rarâ tolerantiâ, & spe gaudiorum æternorum certâ, Diuinis seruiens laudibus, insumpsit: & in nouo templo Beatæ Virginis Mariæ de bono successu iacens, Sacramentali confessione facta, sacraque percepta Synaxi, zeli animarum clarum argumentum dedit. Propriæ enim afflictionis, & plagarum suarum multitudinis oblitus, vulneratis militibus sua commissa fatentibus, sana mente, integroque aspectu, benignas præstitit aures: & quemdam eorum penetranti per tempora globo traiectum, Chirurgi que iudicio desperatum, ipso in limine mortis stantem, imposita manu, dando illi absolutionem, sanitati breuiter restituit.

Iussu insuper Præsidis: vt ipsius Patris cognoscerentur vulnera, & benignis dolores mitigarentur fomentis: à Chirurgo exui vestibus tentatur: sed plagis, saniè, & cruore adhærentibus, acerbitatum copijs corpus illud circumuentum, manibus attrectari; nisi magna ipsius tolerantia, non poterat: confortatus attamen Alfonsus Passionis Domini Nostri Iesu Christi memoriâ, & dolorum, quos iuxta crucem, dum tunica spoliaretur, ipse sustinuit: pacato, & moderato animo, denudari tulit, ac sereno, hilarique vultu, decumbēs, nec verbum, aut signum impatientiæ, vel mœroris dedit: omnibus factus circumstantibus, ac stupentibus, virtutum cunctarum lucidissimum exemplar. Demum ad obseruantiam mandatorum Dei, & peccatorum pœnitentiam milites exhortans, contrito corde, & corpore, sanum & fœlicem spiritum reddidit Deo, in cuius

fidei

fidei atteſtationem tot ora reliquit, & præcones quot vulnera, & dolores ſubijt.

Meruit Alfonſus Chronologum habere virum illum inſignem, Patrem Marcellum Franciſcum Maſtrilli, Societatis Ieſu, & Neapolitanæ vrbis germen illuſtre, poſtea Nangaſaquij in Iapponia proprij ſanguinis murice decoratum, qui Manilæ Præſidem in ea expeditione comitatus: poſtquam de Patribus Franciſco de Ieſu Maria, & Ioanne de Sancto Nicolao honorificam mentionem, in quadam relatione ad ſuum Prouincialem miſſa, fecerat: Alphonſi paſſionem referens, eumque inuictum Martyrem appellans, fatetur, ſe ipſum vulnera eius, poſt mortem, lauiſſe, potius oculorum lachrymis, quam fluminis aqua naturali, pia eius mortis glorioſæ inuidia: ab illoque viuente enixe efflagitaſſe, vt precibus ſuis, impetraret à Deo, ſe ſimili, aut crudeliori morte affici: quod Alfonſum pollicitum eſſe teſtatur, & effectu deinde eodem anno confirmatum, audiuimus. Alfonſi corpus ne indecenter tractaretur à gentibus: ſi humo conderetur, magno omnium fletu, & debito honore, in mari fuit ſepultum.

Ipſius exequijs, prolixo dolore, licet perfunctoriè, celebratis, Catholica claſſis in Manilam victrix remigrauit: vbi comparatæ victoriæ triumphus agitatus fuit à Populo cuncto, Ciuitate, & Præſide: cuius in ipſa expeditione, magni intererat conſilium Patris Ioannis de Sancto Ioſeph, noſtræ Congregationis alumni, apud Barbarum Regem (à quo pridem dura ſeruitute preſſus fuerat) ipſius legatione functi: ſimiliterque Patris Laurentij de Sancto Facundo: ſicut in aliâ, quam ipſe in Regnum de Iolo inuexit, adducens ſecũ conſultos Patres, Ioannem de Sancto Nicolao, Michaelemque à Conceptione, viros Regulæ obſeruan-

tiâ,

tia, & illorum idiomatum peritià claros.

Inimicorum fidei, cladibus factis, nec ad mansuetudinem, vel lenitatem, iratus animus attractus, ab incœpta Ministrorum Dei, & Christianorum persecutione, non abstinuit: sed confirmatis viribus, terra, marique, indixit bellum: dumque Regni de Iolo Archipyrata ille, Dato Achèn dictus, pontum, insulasque infestaret, Pater Ioànnes de Sancto Antonio, Conuentus Manilensis Sancti Nicolai, & vrbis Mexicanæ filius, captus est. Hic in Religione stadium virtutis ingressus, breui cursu, adhuc in iuuentute manens, perfectionem attigerat: & in captiuitate positus, multis modis, vt à sancto proposito deficeret, à Barbaris sæpè tentatus, Dæmonis insidias constanter superauit.

Multum enim industriæ, ac operæ, oblatis pulcherrimis fœminis, ipsi consumpserunt, ad eius deijciendã castitatem: Sed inuictus iuuenis, supremà auxiliante gratià, talia crimina. Diuino, ac pudico amore, arguens, eorum audaciam confusione protriuit, Diabolumque, & turpitudinem, spirituali pugnà, vicit. Hac de causa, Barbari, inflammati furore, denudatũ Ioannem triremi affixerunt: inediàque continuà, ac verberibus duris affecerunt: quæ virtute animi, & robore amplexatus, potuit dicere illud Prudentij Cæsaraug. in Peristephano.

Est alter homo intrinsecus,
Violare quem nullus potest,
Liber, quietus, integer,
Exors dolorum tristium.

Hoc vitæ genus, per quatuor integros annos, agens, multosque labores pro Christo sustinens, ærumnis cõfectus, obdormiuit in eo: & breues in hoc mundo calamitates perpessus, in cœlo potitur fœlicitates æternas.

Eodem

Eodem tempore, Pater Franciſcus de Sancta Monica, Monaſterij Diuailenſis Prior, inſignis que zelator animarum, quibus lucrandis magnam ſuæ vitæ partem impenderat: cum iam ſenex, plenus que dierum, in choro ipſius Monaſterij, mentali orationi quietus in Domino vacaret, ab hoſtibus Chriſtianæ fidei, rapido impetu, circumdatus, & lanceis eorum traiectus, lætus, hilariſque, deuotam exhalauit animam. Manebat, oblitus terrena, ſolo deſiderio cœleſtium, Franciſcus, in Diuinarum rerum contemplatione, & ideo fuit illi dulce mori. Poſtea templum homines iniqui prophanantes: imagines, corpuſque Franciſci igni tradiderunt.

Frater quoque Franciſcus à Matre Dei, laicus, patriaque Gaditanus, in Inſula de Cuyo, deprauatos mores Sinarum (vulgo Sangleies) & crimina, quæ in Deum committebant, execrans, ac corrigens: crudeli, quodam inſtrumento, lapidibus ſecandis proprio, in capite perculſus, hinc, indeque, in multas partes, ipſo diuiſo: glorioſo fine quieuit. In correctione hic, licet alta non ſapiens, humilibus tamen conſentiens, Magni Patris Auguſtini ſecutus fuit documenta, qui ſerm. de verbis Domini inquit. *Foris terribilis perſonet increpatio, intus lenitatis teneatur dilectio; neque conſentientes ſitis malis, vt approbetis; neque negligentes, vt non arguatis; neque ſuperbi entes, vt inſultanter arguatis: hoc eſt exire inde: hoc eſt immundum tangere, & voluntate non conſentire; & omne non parcere.*

Vltimo Pater Martinus de Sancto Nicolao in oppido de Paſſaròn, Tractus, & Diœceſis Placentinæ natus, in Barbarorum Regni de Iolo abductus ſeruitutē: ipſorum idioma ſuperno dono callens, magno ſpiritus feruore pręedicauit: quod tam ægre illi tulerunt, vt

Mar-

Martinum in immundissimam haram detrudentes,inediaque, vt tacèret, affligentes, malè, asperèque vexauerint. Ipse vero mundus corde, bonoque virtutum odore, sceleratos homines, multo feruentius, reprehendens, haræ fœtore peius male olentes, iuxta illud Prudentij Cæsaraug. in Peristeph.

Peccante nihil est tetrius,
Nil tam leprosum, aut putridum,
Cruda est cicatrix criminum,
Oletque vt antrum tartari:

Spurcum, obscœnumque locum, in suggestum nitidum, conuertens multo magis clamabat, vt mentiũ fugaret tenebras: quarum,cum essent cæci,caligine, & veritatis claritatem odio haberent, Martinum transuerberarunt lanceis, corpus que eius inhumatum, in cuiusdam insulæ solitudinem, proiecerunt; vt à feris deuoraretur, & volucribus; sed illæsum, & integrum, Diuina virtute, reseruatum est: & per singulas noctes, supra ipsum, in aere, lux quædam, velut magnum funale, apparuit. Noscit Dominus clarificare eos, qui eius splendidissimum nomen, coram gentibus, portant, & per bona opera proximis exempla lucis demonstrant.

Non solum, persecutione istà, ardens inuidià generis humani hostis, tot animas à se possessas, ad Regnum duci, videns, quo ipse merito pulsus fuerat, cõtentus: viam aliam meditatus est, ad eijciendos Patres ex Calamianensi Prouincià. Apparuit ergo veneficæ mulieri cuidam, familiaritati sibi coniunctæ: filioque eiusdem, simili exercitio dedito: & modum patefecit, vt infandis vtentes artibus, milites Hispanos, in arce ibi constructà degentes, maleficijs læderent: eisque se exhibère adiutorem spopondit, vt illinc protinus

tinus Ministros Dei, cæterosque terrore detruderent concussos, & ipse suæ dominationi iterum animas subiectas occuparet.

Huic suggestioni infamis assentiens fœmina, filio associata nequam, adiutorium inductoris inuocans, carminibus, & cantionibus sibi ab eo traditis, quadam nocte, Cymmerijs atriore tenebris, militem quẽdam, munera custodiarum in specula obeuntem, per aërem, in cuiusdam montis transtulit cacùmen, tribus milliarijs ab arce disiunctum. Militis vigilia acta, successor excubiarum ipsum requirens non inuenit: itaque summo mane, Dux, eum iudicans arripuisse fugam, commilitones dimisit, vt traherent, vbique inuentum, & debito supplicio postea afficerent.

Ducis exequentes iussa præsidiarij milites, iniquo spiritu obsessum, ac furibundum, quem fugam existimarant agitantem, repererunt miserum: & ipsum ligatum, clamoresque nimios profundentem, traxerunt in propriam arcem. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pater Benedictus de Sancta Monica adiurationibus sacris immundum hospitem fugare contendit: tacebat ipse, celari volens: sed signo crucis victus, sacrique virtute constrictus exorcismi, cruciatibus distorquens militẽ, Latino, Hispano, Indico sermone que, vocem emisit: & (licet mendacij Author) energumeni ore, veritatem aperiens, declarauit: finem illius obsessionis esse expulsionem ab illis regionibus nostræ Congregationis Fratrum, medijs matris, & filij magicis cantionibus. Paulopost, in homines efferuescens ira, horribili oppressione liberum militem reliquit.

Statim alios eiusdm arcis milites à Dæmonibus occupari, magna omnium conturbatione, visum: & octo homines inimica Deo iam possidebat turba, quam

continuis exorcismis impellebant Patres: ac die noctequé, in omnibus Monasterijs, perlata fama, sanctissimum Eucharistiæ patebat Sacramentum: cum supplicationes ordinarunt publicas, voluntarijsque corporum castigationibus, ad pœnitentiam, vtrumque sexum prouocarunt: plenam expiationem anteactæ vitæ commonuerunt repetendam, humilibusque precibus Diuinum præsidium inclamarunt. Multiplicabatur obsessorum numerus, & illos, ex quibus exierant, iterum species Dæmoniacæ vexabant: quolibetque noctis spatio, varia sine corpore, nigris commixta vmbris, apparebant monstra. Atrox quidem tunc facies rerum: quousque Diuinæ misericordiæ orationibus instantibus, lucifugi discesserunt cœtus: quo casu, omnes deinceps vitam, ac mores componere cœperunt: vrbique Manilensi, & eius confinibus, nuncium allatum incussit talem timorem: vt omologesi vitæ suæ, vnusquisque Sacerdoti scelera retegeret.

Compressis deinde illius Prouinciæ idololatriæ fluctibus, nunc tranquillam, in Catholica fide, eius incolæ vitam agunt: in illaque ministerio nostrum, vigili conseruantur animo, & semper conseruabuntur, auspice Deo: cuius causâ, nostræ Congregationis alumni multos, susceperunt, & suscipient, ipso adiuuante, labores, captiuitates, & ludibria: nullo alio emolumenti respectu, nisi solum eiusdem maioris gloriæ, quam totis viribus, opere procurant, & exemplo: animarumque salutis: cui maximopere inhiant, & incumbunt. *O fælix vita* (vt quidam dixit) *quæ animabus consumitur lucrandis. O fælix exercitatio, qua dum laboribus fatigas corpus, dulcem in animo lætitiam moues. O fælix peregrinatio, quæ tot, tantos que, cælesti, a c propria patria addidit, per errorum Prouincias diuagātes.*

Quod

Quod plane experientiâ claret: nam quamquam, hora quasi vndecima, nostri in Insulas Philippinas aduenerunt; non minores alijs, in vinea Domini laborando, fuerunt: siquidem ab anno suæ prædicationis primo, vsque ad quinquagesimum, supra millesimum, & sexcentesimum, à perfidiæ, & idolorum cultus tenebris in lucem, & claritatem asseruerunt, baptizarũt, ac Christianæ Religionis Magistri, incessanter perseuerando, retinent.

In oppido Butuanensi, & alijs conuicinis, mille, & quingentas animas.

In oppido Linaoensi, & conterminis, mille & sexcentas animas.

In oppido Caghaianensi, & finitimis alijs, mille & octingentas animas.

In oppido Baiughensi, & alijs adiacentibus familias mille supra ducentas.

In oppido Laiauanensi, & alijs in eius circuitu, septingentas familias.

In oppido Camiguensi, & Laianghanensi, familias sexcentas.

In oppido Bacuaghensi, & vicinis, familias mille, supra ducentas.

In oppido de Sidargao, & alijs, familias bis mille.

In oppido de Parasao, familias octingentas.

In oppido Tandaghensi, familias septingentas.

In oppido de Tagho, & Adlao, familias nongentas.

In oppido Bislinensi, familias bis mille.

In oppido Baganganensi, familias octingentas.

In oppido de Binalgaban, familias mille, supra quingentas.

In oppido Tuggauanensi, familias trecentas, supra mille.

In oppido de Romblòn, familias mille.

In oppido Bantonensi, familias mille, supra ducentas.

In oppido de Cuyo familias bis mille.

In oppido Diuailensi, familias mille supra trecẽtas.

In oppido Dumaranensi, mille & quatercentum animas.

In oppido Calamianensi, mille, & sexcentas animas.

In oppido de Bolinào, mille etiam, & sexcentas animas.

In oppido de Masinglo, bis mille animas,

In oppido Sigaianensi, septingentas animas.

In oppido de Mariuèlez mille, supra quingentas animas.

Præterea numeramus mille animas, quibus in conuentu Sancti Ioannis Baptistæ, & tercentas in conuentu Sancti Sebastiani, extra Manilam, sexcentasque in conuentu Zebuensi, spiritualia administrantur: aduenas ibi Gentiles, agentes mercaturam, ad fidem etiam conuertendo, non absq; incommodis, & labore magno.



MA-

MANIPVLVS QVINTVS

In Regnis Iapponiae praedicationem complectitur,

FOELICEM cursum Insulis Philippinis dedimus, & Deo auspice, multo longiorem, fœlicioremque, ab alijs, labente tempore, percurrendum, confidimus. Nunc vero in dilaceratam, & conuulsam Iapponiorum gentem, mentis conuertentes aciem, rudi licet calamo, nostrorum res gestas referemus: vt iucunda earum recordatione, exultemus in Domino: propositisque mirificis exemplis, non corporis, sed spiritus, in homine, nunc debiles esse vires cognoscamus: qui auxilio munitus diuino, maxima, etiam his sæculis, perpeti tormenta valet: quod perspicuum est, in venerabilibus Patribus Francisco de Iesu *M*aria, & Vincentio de Sancto Antonio, nostræ Cougregationis inclitis alumnis: ille conuentus Vallisoletani, & oppidi Villæmedianæ campestris, in Castella Veteri, iste vero conuentus Sancti Nicolai *M*anilensis, vrbisque Vlissiponensis in Lusitania filius.

Magna, & infesta Tyrannorum in Iapponia erga Christicolas vexatio exorta, ac continuata fuerat: cum clamor eorum peruexit ad vltimas Philippinarum plagas, nostrorumque aures, & animos penetrauit acriter: ad tam sanctumque subsidium stimulauit ferendum

dum

dum (quod multo ante meditati fuerant) ignibus, ferro, alijſque inſtantibus paſſionibus. Nondum etiam noſtræ Congregationis quemquam Iapponica tellus exceperat. Sortiti fuerunt ergo miniſterium hoc dudum memorati Patres: vt ſalutiferum Chriſti confitentes, & prædicantes nomen, pro ipſo paterentur multa, & in gloriam ſuam ita intrarent.

Tanquam tenebrarum aduerſaturi poteſtatibus, præmuniti primum orationibus, pœnitentijs, & ieiunijs, à Manilenſi conuentu diſceſſerunt: ſeque nauigationi Iapponicæ dederunt Mercatorum ſpecie: nam propria Fratrum, nullo modo, illuc accedere conceſſum erat, grauiſſima Chriſtianorum perſecutione graſſante. Hanc expeditionem, in Tyrannicam dominationem ſuam, dirigi Dæmon auguratus, ſuorum tumultum ciuit, vt viam impedirent Patribus, aduerſos opponens caſus, plurimoſque difficultatum fluctus, ad tam ſanctum diuertendum propoſitum: ſed optimus Deus, cuius honor quærebatur, & gloria, æqui animi illis ſuſtinentiã dedit, ad tribulationes libentiſſimè ferendas, valdeque conſtanter ſuperandas.

Prima calamitas occurrit Patribus, quinque tranſactis diebus, poſtquam à Mauang diſceſſerant: cum nauis tota dehiſcens mergebatur in profundum, quare portum de Babuianes appulerunt, iſtudque reſarcientes malum: confirmatis in Domino animis, incœptam iterum arripuerunt viam: poſt tertiam verò diem, atroci commota tempeſtate, aquiſque pene obruta naui, viginti dierum ſpatio, fluctuarunt, & emiſpherio ignorato, in Sinarum Regna delati ſunt. Ibi ſecundo quaſſatam refecerunt nauim, & magna penuria cœperunt fatigari: ab incolis que inhumaniter tractati, & ad necem conquiſiti, à tellure inhoſpita abierunt.

Tan-

Tandem, non sine prodigijs, dante Deo, alijs decursis viginti diebus, communi superato hoste, in portũ de Coxi, Regni de Zazùma, in Lapponia, inuecti fuere.

Descenderunt de naui Mercatores cœli, vt diuitias eiusdem exponentes, quæstum magnum animarum facerent, & Domini gererent negotium. Hospitio benignè accepti, in oppidum de Tomai venerunt, vbi expectare, debebant, permissum adeundi Nangasaquium. Deinde profecti sunt Cangoximam, magnificam illius Regionis vrbem: cæcasque ibi, & ignorantes deplorarunt cæremonias, in solemnitate Lunæ dicata. Obtentà demum licentià. Nangasaquium petierunt; terra, marique impendentibus periculis. Tunc idioma difficile illud postquam benè calluerunt, Apostolicò feruore, munus ad quod venerant, sine cunctatione, exequi curarunt.

Iam (quodam Religionis Christianæ instante perduelli) fama retulerat, Ministros Christi, veste adoptitia latentes, in Iapponia esse: cum exijt ab Imperatore edictum, vt omnes describerentur Hispani Mercatores. Magna quidem tribulatio: nisi Patres, patientiam periclitantes veram, niterentur diuinæ fiduciæ sustentaculis. Collata ergo ad eos inquirendos summa diligentia, ipsos confugere in montes coegerunt: sed exacto die, clanculum è latebris, ascitia forma, egrediebantur, & Cathecumenos imbuebant fidei rudimentis, lauacro que intingebant salutari. Christianos deinde mœstos solabantur, pijsque alloquijs in fide confirmabant, qui cuilibet Ministro, ad numerũ quinque millium, accedebant: vt epistola quadam ad Vicarium Prouinciæ Sancti Nicolai Philippinarum, Venerabilis Pater Vincentius affirmauit: hæc verba subiungens. *Audientium ista excitetur animus: & ipsi*

com-

compertum teneant, quod hic, satis breui vitæ cursu peracto, fructus laborum suorum capient vberrimos.

Venerabilis deinde Pater Franciscus, qui Vicarius Prouincialis in Iapponia erat. Et in hac persecutione, non minimum laboris passus fuerat (vt in sua epistola ad Priorem Prouinciæ S. Nicolai expressit dicens: I*n hac ciuitate Nangasaquio magna persecutio exorta fuit: in qua multæ domus, propter solam suspicionem, solo complanatæ fuerunt & plurimi Christiani in carcerem coniecti, quia Euangelij Ministros hospitio suscipere, dicebant, ac multis damnis ipsos Christianos affecerunt: Tunc ego in hac eadem eram ciuitate, & quadam angustissimâ foueâ me recondidi, quæ in domo, quâ degebam, his erat occasionibus aptata: tam arcta, vt magnitudine, hominis sepulturam non attingeret. Ibi quinque diebus mansi, vbi vix erat lucem cernere concessum: sicque ad Diuinum Officium recitandum, candelam quandam per foramen, subtili artificio factum, immittebant. Quo tempore transacto, nocte quadam valde obscura, simulata forma, in fugam me conieci, aliquibus associatus, qui me vsque ad mare, vbi scapham ascendi, detulerunt. Nimis equidem optabam ego, quod à quærentibus me tunc inuenirer: sed infælix fui, quamuis illis diebus, quibus in fouea latui, domum ter scrutati sint satellites: & ego subauscultabam optimè ipsos, interpositâ terrâ, me quærentes: & si latibulum istud non esset subtus illam, sed in cauitate parietum, vt omnia sunt in ista vrbe, infallibiliter iam me comprehendissent: nam tres parietes demoliti fuerunt: tunc silère erat valde necessarium, quoniã omnes, qui in occultatione Ministri Euangelij cooperantur, cum ipso in carceres ducendi sunt certissimè simulque etiam habitantes vicina domicilia: ideoque nobis permissum non est, aliquid agere, maximè cum extra necessitatem*

tem

tem non sit virtus. Denique non erat tunc voluntas Dei, quod ego comprehensus essem: erit quidem; quoniam hec non mereo; & non quia ipse Deus à me aliquod seruitium expectet peragendum: igitur mea tenuitate, & miseria nihil valeo: quapropter timeo; hoc mihi non esse concessurum. Fiat Diuina voluntas eius) relinquere ibi Venerabilem Vincentium, & conferre se in septentrionalē plagam, ac Prouinciam de Nagai, decreuit: mille, & quingenta milliaria à Nangasaquio distitam: vbi sperabat copiosos cœlo fructus comparare. Vti ipse ad Priorem Prouinciæ Sancti Nicolai scripsit, dicens. *Ego iam in Regnum de Vojo tendere constituo: cuius Rex est Mazamonèy ille, qui aliquibus ab hinc annis Legatum, Seruum* Dei *Sotèlum, in Hispaniam missit. Itineris, & laboris socios habeo tres Patres illustrissimi Ordinis Minorum. Pauci enim Ministri, qui sunt illic, magnam, suis litteris, gentilium conuersionem esse affirmant, & maxima instantia, cooperarios aduocant. Est Regnum ipsum ex vltimis, quæ continet* Iapponia; *obuersum Boreali parti: qua de causa, frigidissima* Regio *est: quæ ab hac vrbe, leucis quingentis, & amplius distat. Via est valde laboriosa, & difficultatibus plena: nam magni fluctus maris impetuosè ex noua* Hispania *decurrunt.* His autem *periculis, multis que alijs, quibus præmonemur, non obstantibus, expeditionem istam libentissimè suscipimus, sacrificantes Domino, cum voluntate, vitam, & labores. Ego lætissimus adeo, quoniam certum iudico, ipsam expeditionem placitam esse* Deo, *sicuti ipse dignatus est manifestare, miraculoso successu, quem mihi vnus ex ipsis gloriosi* P.S. *Francisci* Patribus *narrauit: & ita se habuit. Cum enim dictus* Pater *iam pridem dictam hanc missionem exoptasset: nam sibi videbatur ad* Dei *honorem maximi interesse: executioni tamen propositum suum mandare non*

audebat, ignorãs, an Maiestatis Diuinæ cõsuleret seruitio, quapropter, orationibus ardẽtibus, singularibus pænitentijs spiritualibusq; exercitijs, ad istũ finẽ directis, precabatur, quod si ad sui seruitiũ cõducebat, aliquo medio, Deus tũc disponeret. Postquã vero multum temporis in hac petitione, & consideratione, consumpsisset, quadam die, locutus est ad Deum, *dicens:* Domine, *duo sunt, qui mecum iter istud suscipere conantur. (& verè sic erat, nam Sanctus vir, duobus alijs sui Ordinis* Patribus *hoc suum communicauerat propositum, ipsique suam fidem spoponderant, libenter iter istud aggressuros.)* Si *forte aliquis alius mecum adire, sine mea diligentia, aut monitu, voluerit: certo credam, tuam* Diuinam *voluntatem tunc annuere, quod dictam expeditionem ego iam suscipiam.* Hac *ergo cum* Deo *facta conuentione, ab oratione exijt, & vix a loco, vbi orauerat, discesserat: cum quidam ex Japponijs ad illum accesit, vnam meam deferens epistolam, in qua ego hanc expeditionem suscepturus, intentionem meã ipsi propalabam; eique enixe supplicabam, quod hortatu suo, illam facere volebam, vt quod melius esset, sic eligerem. (quod reuera nunquam antea ipsi demonstraueram, nec ego istud propositum adeundi, illum habere, nesciebam)* Religiosus Pater, *lecta epistola, voluntatem* Dei *esse iter ipsum suscipere cognouit, & beneuolis verbis, ac spiritu cælorum plenis, mihi tunc respondit, meum bonum accendens desiderium, in suamque me admisit societatem.* Hæc *omnia relata ipse sanctà simplicitate mihi, cum nos vidimus, narrauit. Sit Maiestas* Diuina *in omnibus laudata, quæ seruis suis explicat suam, per diuersas vias, voluntatem.*

Segregati ergo ad opus, ad quod assumpti erant: Venerabilis Vincentius Nangasaquij montibus occultus mansit, & Venerabilis Franciscus in Nagài profe-

ctus

ctus est. Interim Venerabilis Pater Vincentius rigorem persecutionum omnium fuit expertus: vt ipse in epistola ad Priorem Prouinciæ Sancti Nicolai, huiusmodi verbis exarauit. *Talem Gubernatores persecutionem commouerunt, qualem antea factam nunquam vidimus. Primo enim separatim omnes Nangasaquij Christianos accerserunt, & coram se fidem Christi iubebant abiurare, multum temporis in ea deturpanda consumentes: simulque adijciebant alia, quibus aliqui ab ipsa defecerunt: maior tamen pars constans, & firma perseuerat, ideoque solati sumus. Tempore, quo cœpit ista persecutio, omnes Euangelij Ministri in vnum conuenimus, & cunctorum communis fuit sententia, optimum esse, in publicum nos progredi, cum periculum aliquod instaffet, ad fideles in fide confirmandos, ad istudque omnes parati iam eramus; quod licet necessarium non fuit, Christiani tamen, ad quorum notitiam hoc peruenit, multum animi, & roboris ceperunt. Post persecutionem istam (quæ magna fuit) alia pullulauit, in eaque omnibus, qui extra hoc Regnum pecunias in commercium misserant, eas, iussum est, fischo applicare: quas, magno animo, tradere, plurimis fuit gratum; iam extremà tunc inopià laborantibus, qui decem, ac duodecim, vigintiue millibus scutis abundauerant, parum orizæ ad vitæ sustentationem non habentes. Hanc tertia persecutio subsecuta est; in qua nulli Christianorũ, arte sua, victum quærere licebat: itaque, qui antea alebant se labore quotidiano, absque remedio, inedia premebantur. Quarta equidem fuit omnibus durior: in qua iussum est; ne Lusitanis, aut illis, quos Sangleies vocant, domus locarentur: & quod in ipsorum habitacula nullus ex Christianis ad negotium accederet agendum; nec etiã Lusitani in cuiusdam Christiani intrarent domicilium, haberent ve famulos similiter Christianos. Denique Ty-*

rannus furoris sui rabiem adimpleuit, omnium Christianorum nomina, ætatem, notasque describens. In suo vero itinere Franciscus graues calamitates, ærumnasque perpessus, animo eas pacato superauit, Diuino adiuuante auxilio: quod fatetur ipse in Epistola ad Priorem Prouinciæ Sancti Nicolai, his verbis. *Monui iam reuerentiam tuam multorum laborum, quos pertuli in via, & subsidij, quod ad tolerandos eos, mihi cumulatius præstitit Deus, qui similibus occurrit afflictionibus: nam meum ita roborauit animum, & corpus, passionum sustinentià, viriumque fortitudine, vt quo labores crescerent, eo magis patiendi pro ipso augerentur desideria. Benedicatur in omnibus* Diuina *Maiestas eius: cuius gratiæ effectus hi sunt, igitur ex meo nihil sum, & valeo, omnium hominum miserrimus.*

Postquam vero confecit iter, ad dictamque Prouinciam venit, mille, & quingentas Iapponiorum familias ad fidem conuertit, & salutis aquà lauit: quem numerum (licet iudicauit humiliter, non esse infimum) cunctarum animarum saluationis sitibundus, in ipsa Epistola deplorat, dicens. *Hac summa nondum meo aduenit optato: nam si in propria potestate esset, omnem hominem, ad veram Christi cognitionem, adducerem, vt partem aliquam incomparabilium laborum, quos ipse pro genere humano subijt, pensitarem.* Nec solum tam longum, suscipiens iter, nullo fultus præsidio humano, mari, terraque inter dumeta, inuiaque loca, incommoda tam grauia hausit: sed in ipsa Prouincia de Nagài, maiora patientissimè sustinuit; quæ paulo inferius, labores, penurias que commemorans, quas in annuntiando nomine Domini susceperat, subiunxit.

Venti in hac Regione (magnà niuium copià de cælo cadente, & longam hastam superante) sunt horribiles, &

sum-

summe frigidi: quorum causà maximas ærumnas nos euãgelizantes patimur: quoniam continuo latebras quærimus; ne à Tyrannis, media persecutione, capiamur, & tunc Christiani, tanquam oues errantes, pascua non inueniãt: sæpeque deserta loca habitamus, tam exposita cælorum rigiditati, vt non sine miraculo viuamus: at tamen his infortuniis, locus apricus, & tegumen iucundum nobis est, consideratio, quod, pro nomine Iesu *, talia perferimus: hacque intentione & conformitate, omnia toleramus, tranquillà animi delectatione: & gustus horum laborum, ita afficit, vt delicias omnigenas Mundi pro nihilo reputemus.*

Denique instantem persecutionem multo maiorem referens, Fratresque Prouinciæ Sancti Nicolai, ad tam sanctum Ministerium prouocans, conclusit. *Denuo Imperator, seuero edicto, promulgauit, omnium Regnorum suæ ditionis Dominos, magna adhibita diligentia, spirituales fures inquirere. Adiutorem nobis se Deus exhibeat, & subsidium tantis afflictionibus, & persecutionibus conferat, sicut iterato fecit. Si vero voluntas eius fuerit, toto corde, & animo, paratus sum, ad subeunda tot incendia, cruciatus, & tormenta, quot Tyrannus potest cogitatione concipere, & inuenire, sed tam miser, & peccator sum; vt pro eius amore vitam fundere non merear: quod magnum est, & singulare beneficium, quo me maxime indignum iudico.*

Iniecta est mihi firma, & erecta spes in Domino, Reuerentiam tuam Cooperarios Fratres huc accedere curare: vt nobis auxilium præstent laborantibus in Vinea Domini, vbi fructus opimi comparantur. Nulli autem nostrum, metum & terrorem, labores, ac persecutiones incutiant, vt impedimentum aduentui obiiciant: igitur in comparatione gaudiorum, & solaminum, quæ Deus liberaliter elar-

elargitur, omnia sunt facillima, delectationibusque affluentia. Cumque ærumnæ, & incommoda, quibus hic vexamur animum frigefecerint, & accessum retardauerint: inflamment illum, & huic celeriter incumbant, pertractantes corde, quam lachrymabile sit, & ad quantam miserationem moueat, tot animarum millia ad tenebrosum detrudi Tartarum, æternaque nocte, & igne damnari, indigentia Ministris, qui viam veritatis doceant, & ad cælorum aditum claritate perducant Euangelij. Similiter intueantur animo, quanti sit meriti vnica etiam animæ conuersio: & quantis authoramentis, Dominus noster huiusmodi laboribus. (licet minimis) pro hac re susceptis, præmium præscribat.

Eia amantissimi Patres, & Fratres, proteramus omnia, quæ carnis sunt, & sanguinis, & nihil impedimento sit: quominus magnum, & egregium, hoc facinus non adoriamur. Hoc vellem vnicuique suadere, & omnium animos incendere, fusis lachrymis ab intimò cordis mei: nam mihi notum est. quantum expediat, Euangelij Ministros, his Regnis, adesse, copioso mediante fructu, quem colligimus: & quanta sit gloria Dei, pro nomine eius, laboribus, & persecutionibus esse subiectos.

Non immeritò Venerabilis Patris Francisci verba transcripsimus, vt feruor spiritus, eiusque labor innotescat, & tanti Herois zelum, ac res gestas admiremur: qui sancta exercitatione reductionis animarum in ipsa Prouincia de Nagài perseuerans, vltra septem millia Iapponiorum etiam à gentilismi tenebris in lucem, & claritatem Christianismi asseruit. Deinde Regna Fingaxi peragrans, octingentas, ac quadraginta septem animas præceptis Diuinis erudiuit, in Christoque sacro baptismo generauit. Creuit interea Regnis Nangasaquij, Vomùræ, Firandi, Gotto, Arimæ, Amacusæ,

cusæ, Fingi, Figeb, & toto pene Iapponico Imperio, grauissima in Christianos persecutio, quam Minister Satanæ quidam commouit, cui nomen Vneme Domus, in Regno de Bungo Dynasta potens; & Imperatoris (apud eos Xogun) intimus Consiliarius: eaque sæuiente, insensibiles etiam creaturæ horrore concussæ fuère: nam montes gementes tremuère, Christianorum fugam recipere nolentes: brutaque insuper, vt perfugium miserorum essent, proprias reliquère mansiones.

Vrgentibus namque, vt relatum est, edictis barbaris, oues Christi atrocibus supplicijs mactabantur: veramque fidem compellebantur abiurare: proprijs priuabantur facultatibus; & nulli licitum erat, artem, qua victum quærebat, exercere. Prohibitum simul fuerat, quod nemo auderet, illis locare domos, aut commercium habere vllum. Quod Venerabilis Pater Vincentinus enarrauit scribens. *Dico igitur quod anno millesimo, sexcentesimo, vigesimo, nono, in principio mensis Augusti, administrationem suscepit Nangasaquij Tyrannus quidam Tacanaga Vneme Domus, tanto rigore persequēs Christianos, vt in ipso Nangasaquio, eiusque confinijs, nulla res fuerit, quæ furorem eius non pertulerit: nam tormentorum vi, minis ve, ac alijs inferni adinuentionibus, omnes viros, & mulieres, paruos, magnosque, deiecit: & hæc talis fuit inaudita persecutio, in hoc Regno tūc excrescens, vt nulla creatura sensibilis, mortua aut viua, ac etiam nondum nata, manserit, quæ ipsam non experta fuerit: sentientes aliæ: aliæ vero illius feruescentis contra Catholicā fidem, filiosque ipsius, signa dantes: montes enim, afflictis repleti, vocibus tremuerunt cū timore. Petræ scissæ fuerunt, vt Christianis perfugium non tribuerent. Nemora, & campi, vt vexatos non excipe-*

cipe-

ciperent, igne vastabantur: & ne arbores, inter folia, ramosque, miseros contegerent. Aquis etiam sustinere nauigia non dabatur; vt ad ea fugientes non saluarent. Flumina, riuique, fluendo sanguine, Tyrannorum rigorem sentiebant. Bruta deserebant antra: & montes signa persecutionis tantæ dabant. Oppida. villæque carebant incolis. Homines, puerique fortunis nudabantur proprijs, contemnebantur, aspere tractabantur, & in carceres conijciebantur. Alij, viuentes adhuc, vrebantur. Alij serris arundineis medij secabantur. Alij confixi lanceis. Alij percussi gladio: ac tormentorum notabilibus generibus, licet ita agitati, ad æternam gloriam aduolarunt. Sed dolore magis dignum est, & etiam lachrymis; quod non solum sic viuentes, afflictati, sed mortui quoque, qui à multis annis ab hac vita discesserant, fuerunt exhumati, vt ossa ipsorum igni traderentur: ac multo magis sanguineis lachrymis est dignum; quod non solum Matres cogebantur multis tormentis fidem abiurare, sed infantes adhuc non natos illarum ore, Tyranni iubebant profiteri, se, post suam natiuitatem, gentilitatem eam esse sectaturos. Sic habente se persecutione, Venerabilis Pater Franciscus in Nangasaquium redire constituit, vt Venerabilem Patrem Vincentium. strenuè laborantem, adiuuaret, cæterosque suo exemplo confortaret. Deo illum vocante, vt pro laboribus susceptis, fœlici decoraretur præmio.

In Nangasaquium, itaque aduentanti, & itineris ipsi fatigatione confracto, Venerabilis Pater Vincentius montiuagus occurrit: quem vt vidit Venerabilis Franciscus ad suum pectus, & sinum astrinxit. Iucundà exinde aduersitatum pro Christo recordatione, ac mutuà gratulatione, longam de profectu animarum, ad multum tempus, sermonicationem produxit vterque.

Dies

Dies erat Magno Auguſtino ſacer, & eius admirabilibus exemplis, maximopere, ad ſalutem hominum commoti, cruciatus omnes, hac de cauſa, libenter ſubire proponentes, ſpiritualibus vacarunt. Poſtridie, Venerabilis Vincentius, accepta benedictione, reuerſus eſt: minimèque ad Nangaſaquium appropinquare potens, in nemore quodam, prope littus maris, manſit: & aliquibus elapſis diebus, per horridum iter, noctis ſilentio, oppidum de Mixe petijt, quindecim milliarijs ab vrbe diſtans, Venerabilem Franciſcum, illuc acceſſurum, conuenturus: vt ſuaui eius præſentià, ſanctisq; exhortationibus recreatus, iterũ diſcedẽs, in inſulã de Firoxima ſe conferret. Obuij igitur ambo, ſolatia inuicem in Domino, & oblectamenta fuère: à complexuque ſancto denique diſiuncti, Venerabilis Vincentius Firoximam adijt, & Venerabilis Franciſcus in ſyluis de Ioquenùra, oppidi de Riquinobia, conſtitit, quæ viginti ſeptem milliarijs ab vrbe diſtant.

Cunctorum Chriſtianorum in Iapponia degentium ſimilem curſum, ſtatumque tenebat perſecutio; & quam diligentiſſimè, aut terrà, aut mari, alicunde eos euolui, à Tyranno curabatur: cum venerabilis Pater Franciſcus, in montibus ipſis abditus, à ſatellitibus Vneme-Domi captus, & vinctus eſt, ſecunda luce à diſceſſu ſui conſodalis, ac decima octaua Menſis Nouembris: ab ingreſſuque eius in ea Regna, anno ſeptimo. Dum ſpiculatores Franciſcum comprehenderent, magnà lætitià geſtiebant, & maiori circumfundebatur ipſe, cum vincula, & contumelias pateretur: qui iam in Nangaſaquium ductus, deuotiſſimè cantare incœpit Dauidicum Pſalmum. *Laudate Dominum de Cælis*: quem vſque ad tribùnal ipſum Tyranni repetiuit, à quo malè, aſperèque tractatus, includitur in carcerem: quem,

vt intrauit, se prosternens, deosculauit, tenerrimàque affectione salutauit: indignum se reputans, pro Christi nomine, eius perferendi incommoda. Tunc carceris custodes grauiora vincula, & procaciores contumelias addiderunt: circumstantibus confusione affectis, in passionum, & aduersitatum Francisci toleran-tiâ: quæ multoties persecutorum acerbitatem efficaciter confundit: ait enim S. Chrysost. Serm. 5. sup. Epist. ad Hæbr. *Nihil ita confusionem parit gerenti mala, sicut fortis tolerantia patientis, & neque verbo; neque in opere, reddere vindictam.*

Interim Venerabilis Pater Vincentius in Firoximam iam peruenerat: cum torturis oppressi illi, apud quorum domos Nangasaquij solebat diuersari: quod, inquisitione facta, iam compertum fuerat: delitescere cum in oppido dicto insulæ Firoximæ aperuerunt. Post ipsis extortam veritatem, Tyranni iussu, statim duo Ministri (apud eas nationes Tonos) in illum locum perrexerunt, die decima eiusdem mensis: maximoque comitatu militum, atque armorum strepitu, Insulam totam, sex milliaria in circuitu habentem, cinxerunt obsidione. Errabat iam ipsius solitudine Vincentius, Petro Ioiemòn nostræ Congregationis Conuerso, & Petro Cazùque similiter eiusdem Tertiario: & tantùm leui, ac simplici veste, hyemis asperitatem resistebat: cum Ministri ipsi ignem admouerunt insulæ: vt Vincentius, incendio eà exardente, comparèret, omnibus propter Dei nomen, agitatus elementis. Ter ad illum accessit ignis, nullo que modo læsit: nam maiora ipsum certamina, & gloriosiora expectabant præmia. In quoddam postea se recepit antrum, vbi occultus sine vllo cibo, aut potu, quinque transegit dies. Repertus tandem cuiusdam oppidani monitu, die vigesima

gesima quinta mensis ipsius, manibus institis tentis, Nangasaquium perducitur, & coram Vneme sistitur, ac duplici catenâ, in custodiam traditur, à Venerabili Patre Francisco, alijsque abstrusis ibi Christianis, separatus.

Vbi primum Tyrannus venerabilem *Vincentium* deprehendit, consilium suscepit adeundi Regiam: vt Xogùn de seruitijs à se factis, commonèret: qui cum iam in procinctu esset, vinctos Patres duci præcepit in Vomùram, & in carcerem detrudi obscœnum, specialiter, confitentibus Christum, deputatum. Sicut ille iussit, ita factum est: & ipsi Patres susceperunt iter, rigidis oppressi ligamentis, quæ magni æstimans Vincentius, in epist. ad quemdam sibi notum dixit. *Nunquam spatio vitæ meæ, elegantiori vestimento indutus fui, aut honorabiliori illo: quo tunc ornabar: funes scilicet voluti ex lino: quibus manus retro vincta erant, & collum. Fœlix ego millies, igitur Dominus Deus dignatus est me tam magnum peccatorem, ob amorem suum, tali vestiri amictu: permittat ipse, illud incœptum tunc in me, quod fuit immittere in viam, ad patiendum propter eius amorem, perficere: vt optatum finem attingam, qui alius non est; nisi vitam, quam ipse mihi dedit, prodigere, eo modo, quo voluerit Tyrannus cruciatus adhibère.*

Die ergo decima secunda mensis Decembris, ipsoque anno, in dictum carcerem coniecti fuere: & cuidam trunco, tanquam canes, vinculis colla, & pedes tenentibus, astricti. Amœno illic velut vireto florum, & abundanti deliciarum campo, Venerabiles Patres delectati: sordibus, ac squallore iacuerunt; non minimas que calamitates pertulerunt: quas ex Venerabilis Vincentij litteris ad amicum, quem suppresso nomine Patritium vocat, colligimus apertè. Inquit enim.

Vellem equidem, quod desideras, adimplere, calamũ mlongius excurrendo, in hoc litterarum campo: sed cum ignarus sis angustiæ, & rigoris laci huius; non miror, mandatum te mihi dare, super re tam difficili: igitur ad has paucas scribendas lineas, tantus metus mihi inest, vt eum explicare nesciam: nam die, nocteque; non auertunt à nobis oculos Leopardi isti, qui nos ipsos custodiunt: cumque atramentum sit valde prohibitum, necesse est, maximam cautelam adhibere; vt non omnia perdamus: illico, namque adueniunt Bungÿ, & cuncta scrutantur, sicuti bis fecerunt.

Altera verò epistolà ad alium suum Benefactorem, monens ipsum de instante sibi morte, dixit. *Tyrannus gladio ligneo nos interimit: nam tot sunt terrores, quos nobis inÿcit; vt nequaquam possim declarare. Vix dies elabitur, qua non simus in procinctu ad mortem. Denique negotium prorogatum est, vt dicis: Deo ergo agamus gratias, qui ita hoc ad meum bonum permittit. In die omnium Sanctorum, per circuitum huius ciuitatis, magna congeries lignorum facta fuit, & compertum putauimus, nobis comburendis coagmentari.*

Aerumnas autem, quas ibi perferebant, alterà epistola ad eumdem, his breuiter exposuit verbis. *Est hic locus, velut aquarum puteus: nam diebus elapsis, in quadam magna imbrium vi, ex hoc saxo, quoddam erupit flumen; & nisi carceris custodes demolirentur partem septa, nos aquis depressi, interiremus: hacque diruptione, decurrerunt aquæ: attamen carcerem, ita madefecerunt; vt vix lapis aliquis, adhuc siccus, aut arefactus, appareat. Laudetur Dominus Iesus, cuius amore hæc omnia dulcia fiunt: etiam si multo maiora euenirent mala.*

In hoc ergastulo, duobus pene integris annis commorati: iam Mercatorum metamorphosi deposita, ac furti-

furtiuo habitu: in proprium reducti Augustiniensium Aquilarum, rapinas exercentium animarum, verbis, & exemplis, nutantes fideles confortabant. Ieiunio etiam admirabili, de mane tantum, sumebant quotidie aliquid orizæ: quaternisque flagellationibus, corpus macerabant in hebdomadà. Absentes, quos in Christo genuerant, suis, cum poterant, solabantur litteris: & oratione continuà, diuinæ voluntatis sequebantur cursum, se ad illustrem præparando mortem: vt ex verbis Venerabilis Patris Vincentij in epistola ad Ducem Eduardum Correa Popularem, ac Benefactorem suum colligitur. *Nulla* (inquit) *quatior perturbatione, eo quod nostrum negotium differatur, siquidem Deus ita disponit ad maiorem meam vtilitatem, & commodum, vtinam sic placitum, gratumque diuinæ sit misericordiæ, vt oculis pietatis me respiciens; ne permittat, deflecti à vià, in quam introduxit: & accidat, quando voluntas eius fuerit.*

Ab eo denique, die vigesima quinta mensis Nouembris, Tyrannus venerabiles Patres extrahi mandauit, iterumque perduci in Nangasaquium: vt cruciatibus disperderet, quos labefactare, vinculis, ac ærumnis, non potuerat. In ipsam ergo vrbem redierunt, stipati cohorte numerosà: & gaudentes, quoniam digni habiti fuerant, pro nomine Iesu contumeliam pati, suæ professionis aduenerunt habitu, cum longis, & intonsis comis, forti constantià, & grauitate præditi. Ad eorum introitum, tota commota ciuitate, Vneme in tenebras carceris ipsos etiam arripi præcepit. Post nouem vero transactos dies, illos afferri in feruentissimas Arimæ aquas, in montibus de Vzèn, decreuit: vt horribilia ibi paterentur cruciamenta: & quo pœnas eis tribueret

ret longiores, eo atrociores adderet dolores.

Præscripto termino, die mensis Decembris quinta, vinculis onustos Patres, per mediam vrbem, sectatores Tyranni protraxerunt. Tunc venerabilis Vincentius Crucifixi Domini nostri effigiem, quam habebat in sinu, cordeque, detexit: & illum clamoribus magnis prædicare cœpit, ac fidem eius viuere, semperque victuram, verbis ignitis, promulgauit. Deinde satellites imposuerunt eos, distinctis lembis, in portu de Fine, duodecim à Nangasaquio milliarijs, in quem, quinque Præfectis Iudicibus, conuenerant: vt instructa acie, ad exequenda iussa Tyranni, in verticem ascenderent Arimæ. Postea in Bombàmæ portum breuiter tenderunt, qui in montium calidissimarum aquarum situs est radicibus: ab eisque per nouem milliaria distat. Nocte illa, omnes inibi ceperunt somnum: præter venerabiles Patres, qui fortiter vexati, ipsorum aggrauatis vinculis, totam noctem in laudibus diuinis consumpserunt. Summo mane, eos pedestres asperum, & accliue iter arripi, fecerunt. Demum in montium fumigantia iuga, vbi feruentes ebulliebant aquæ, & dirissimum aderat supplicium, aduentarunt.

Harum aquarum puteus, cuius ignoratur profunditas (velut areæ triticeæ circulum habens, & spatium) est in montium de Vzèn cacuminibus, quæ nubes videntur tangere. Aquæ, quas continet, tam acres prodeunt, sulphure, & igne mixtæ, vt quamcumque corporis attingant partem, potius deuorent, quam vrant. Ossa insuper proiecta in ipsas in nihilum statim redigunt. Ad vnam vlnam, & aliquando amplius, ardentes in altum, horribili strepitu, simulque rauco murmure, surgunt. Hoc dulce balneum, post tot defatigationes, molestiasque, ad earum intermissionem, erat

Ve-

venerabilibus Patribus paratum.

Ipſa die ſub veſperum, Iudices, ſuis circumdati turbis, ad ſupplicij locum acceſſerunt: ſimul que detulerunt Patres, (quos prius ſegregauerant, vt, exhortationibus mutuis deficientibus, eorum conſtantiam, ſi poſſent eneruarent) & Eremitano habitu mandauerũt exui. Mox colla, manuſque, vtraque parte diſtentas, in modum crucis, fortiter fecerunt alligari. Aderant Tortores, qui vincula, & reſtes coarctabant, & patientes vrgebant inceſſanter: vt fidem Chriſtianam abiurarent; ni voraces aquas, & liquentia mallent ſulphura experiri. Præterea notum faciebant ipſis: quod, ſi in ſupplicio forte mouebantur, ſignum erat, ſe à propoſito ſuæ doctrinæ tuendæ diſceſiſſe. His, vno ore, fortes athletæ reſponderunt, corpus, tanquam fragile, moueri poſſe: animum vero conſtantem eſſe, ſcirent: linguam que cordis nunciam, ſemper Chriſtum expreſſuram eſſe.

Confeſtim, vrceolo quodam, carniuoram aquam crudeles Miniſtri infundere ſuper nuda Patrum corpora cœperunt, quæ deglutiens membra, coſtas, oſſaque, detexit. Aſſiſtens Phyſicus, huic operi allatus, eorum arterias explorabat, ac tangebat pulſum; ne Patres deficerent in balneo: vt quos habebant odio capitali, dolores augendo, pœnis diriſſimis conſumerent: ipſis differendo mortem, quouſque ſuorum rituum facerent cultores. Quamprimum, inuicti patientia, Patres cruciatum illum ſubierunt immaniſſimum, & in Deum tota mente intenti ipſius leuamen iucundũ inuenerunt.

Huius diei finito balneo, illos proprio induerunt habitu, & manibus, ac pedibus ligatos, in ſeparata aſportarunt domicilia: iuſſeruntque cubare ſuper paleas. Sequenti mane, poſtquam vires aliquantulum reſe-

refecerant, idem tormentum, multo maiori constantiâ, milites Christi restiterunt; quibus illud Prudentij Cæsaraug. in Peristeph. adaptare possumus.

Hæc inter immoti manent
Tanquam dolorum nescij,
Tenduntque in altum lumina,
Nam vincla palmas presserant.

Quinque continuis diebus, Vincentius acriter tortus, iam penè remanserat exanimis: cum, adhibitis cordi pharmacis, salutaribusque corpori remedijs, laceros artus inhumani Ministri recrearunt: vt grauius, & acrius, ipsos deinde cruciarent. Tunc inter medicinas corporis, animum eius tentarunt infirmare: clamoribus que multis suaserunt: quod, violato Religionis Christianæ Sacramento, ad sectam transfugeret Japponicam. Viuido Vincentius animo, licet corpore penè resolutus, eorum redarguit cœcitatem, & fortiter, tremulâ quamuis voce, errores ipsorum confutauit. Confusi Ministri tacuerunt, & in lectulum illum baiularũt: cui quotidie, per triginta dies, quos, in illius montis supercilio, crudeles Pagani, consumpserunt, vnicam sardam, cum oriza paucula, solum, in cibum, rigidì apponebant.

Venerabilis etiam Pater Franciscus, simili ieiunio deditus, postquam ignitas septies superauit aquas, alterum cruciatum est perpessus: cui ipsius Prudentij consonat illud.

O miles inuictissime,
Fortissimis que fortior,
Iam te ipsa sæua, & aspera
Tormenta victorem tremunt.

Aspera hyems erat, gelidæ que fluxerant niues: & nocte quadam omnibus anteactis illius horribiliori, atriori-

atriorique, Franciſcum non ſolum veſtibus, ſed carnibus nudum, ſtare ſupra rotundum lapidem, fecerunt: ligatis in altum brachijs, orique ſcrupo, in modum oui, appoſito; vt nequiret Diuinas pronuntiare laudes. *In* eo ſupplicio, velut columna immobilis, permanſit Franciſcus, tota nocte: in diſcerptoſque artus frigus intrans, diuini amoris igne, tolerauit. Primà ſub luce, quem confectum temporis inclementijs iudicauerant, viuum repererunt, & magnanimum. Concuſſi Miniſtri non modico terrore, quid acturi eſſent, ignorabant: itaque propoſita Domini noſtri Ieſu Chriſti, in cruce patientis, imagine, ipſam proterere pedibus mandarunt, maiorum comminatione cruciatuum. Egregio animo, altàque voce, Franciſcus ſe ipſos libenter expreſſit perlaturum: & Iudices, ad huiuſmodi admirandam reſignationem ſtupentes, ſuperuacaneum eſſe cum ipſo contendere, nouerunt. Idem illico Vincentio notum in lectulo, fecerunt, decumbenti: Franciſcum iam à fide Chriſti, dicentes, defeciſſe. Reſponſione graui, mendacium exprobrans Vincentius, rubòre illos obrutos confudit: addens, ſe prius eligere, proprios amputari pedes, quam tale facinus committere, aliquomodo. Verbis duriſſimis inſtabant Iudices, Vincentiusque fortiter, ac patienter repugnabat.

Sic in Arimæ balneis venerabilium Patrum conſtantia expugnabatur: cum ipſam Vneme audiens, iam velut conuictus, conſtituit, illos reduci in Nangaſaquium quinta Ianuarij die: in carcerēq; vltimo detrudi, atrocē perpeſſuros necē: quam Patres ipſi diuino beneplacito conformes, per ſingulas horas, cōſtanter expectabāt, aduerſa valetudine degentes, & doloribus multis abundantes. Ipſos pro ſe Vincentius, Epiſtola quadam explicauit. *Pedibus* (dixit) *ac manibus debilitatus iaceo:*

per decennium enim tempestates frigidæ Iapponiæ: per triennium que carceres: Arimæ feruentia balnea, & rigida frigora, in hunc adduxerunt statum. Conficior dolorum magnitudine, & nulla corpori adest requies. Sit Dominus in æternum benedictus.

Reditum etiam in vrbem Nangasaquium venerabilis Pater Vincentius in epistola sua alia huiusmodi attestatur. *Perrexit in Regiam hoc tempore Tyrannus, & iussit nos reduci in Nangasaquium, quo peruenimus: & licet alij venerunt super equos, ego arundineo tymbo deferebar, propter paruas vires, quas habebam. Intrauimus sic in Nangasaquium, vespere festi Epiphaniæ, & nos in carcere de Cusamanche recluserunt, vbi tenemur, sperantes, quod Dominus Deus voluerit disponere. Hæc, quam à me petis, breuis est relatio (Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meũ per os tuum) dicit Propheta Rex: ideoque ego verebar, ac timebam, hæc scribere, videns me vilem, & miserum esse peccatorem: quamuis aliter non me pæniteat id agendi: dum mea sit intentio, mirabilia, & misericordias Domini, quas mecum vtitur, solummodo referre, propter suũ amorem, ad patiendum mihi dantis vires: & quia bonum est, quod enarrentur labores, propter Deum exantlati, ac etiam scribantur: vt ipse sit glorificatus, & ipsi soli detur gloria, qui infirma Mundi elegit, vt fortia quæque confundat, vilem me eligens vermem, & humilem eius seruum, vt Tyranni confunderẽ superbiã, & potentiam. Quis enim diceret (Patriti Domine) quod ille, qui Vlissipone natus fuit, & enutritus, inter ipsius otia, atq; delicias, tam varijs, spinosisq; itineribus, me in hunc statũ esse deducẽdum? Omnes viæ Domini misericordiæ: ideoque cum ipse sit misericors, non est mirandum, quod me in Paradisum, vbi sum, adduxerit. Laudetur, & benedicatur, ita bonus*

Deus,

Deus, quem recolimus. Quis est qui pro ipso non moriatur, aut subeat quaeque? Vtinam veniat ignis, qui praecedentes me consumpsit, & me, meas culpasque comburat, vt anima purificata gloriam ascendat fruitura.

Cogitationes omnes suas Tyrannus sæpe vocauit in consilium: vt Patres à fidei proposito diuelleret, & blanditijs allicere curauit: sed quos carceres, & tormenta vincere nequiuerant, etiam illecebræ fugerunt: & quos nulla deiecerat aduersitas, similiter nulla prosperitas corrupit. Hoc incensus furore animaduertens, vt igni traditi essent, protulit sententiam: & vt illorum memoriam, apud homines, deleret, in cineres redigi, mandauit.

Aduenerat iam tempus illud, in quo laborum erat Patrum constituta meta: cum Tyranno deuicto, & ipsius conculcatis machinis, adstabat præmium tot aduersitatum, quas pro Dei gloria, honoreque sustulerant. Mensis Septembris, eiusdem anni, aderat dies tertia, quæ Veneris ipsa fuit: vt in eâ pro suo Creatore vitam funderent, quà ipse pro genore humano pati, ac mori, dignatus est. Duabus ergo, ante meridiem, horis, magnâ hominum stipante caterua, per vias publicas, Vneme Domi Ministri, Pręconis clamore causam promulgante, duxerunt Patres in supplicij locum, qui lignis sale arpersis septus, firmatas habebat columnas: vt in ipsis patientium colla ligarentur.

Postquam tota peruenit turba, Vincentius Iesu Christi effigiem, quam præ manibus tenebat, deosculari cœpit, ac quem repræsentabat prædicare: in modum vero crucis Franciscus extendens brachia, multoties illa Apostoli verba repetebat. *Mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo*. Igne demum adiecto, incendium excitatum est: ex illo que Deũ voce laudabant incessa-

bili, & cunctos admonebant circumstantes, quod ipsius veram tenerent fidem, aut acciperent. Deinde inuicem se ad patientiam hortabantur: quasi cum D. dicentes, Cypriano de laude Mart. *Fide firmà, deuotione robustà, contra minas sæculi atroces, & asperos insequentium fremitus, aduersa virtute, resistendum; nec timendum, quorum spes æternitatis, & vita cælestis est: quorum que ardor in cupidine lucis succenditur, & salus de promissà immortalitate lætatur.* Sic igne ipso consumpti, peregrinum absoluentes iter, se, ab istius Mundi duris, ac temporalibus laboribus, in cœli æternam, & suauem requiem subduxerunt.

Eorum cineres in altum mare proiectæ, & dispersæ fuerunt; nè forte colligerentur à Christianis. Fœlix sane Franciscus (vt in suo eruditissimo Alphabeto P. M. Thomas de Herrera inquit) & similiter Vincentius: qui in cœlesti beatitudine, tot, & tantorum filiorum, quos Christo genuerunt, fœlicitate lætantur: & per igneæ aquæ, & ignis necem, transeuntes per ignẽ, & aquam, educti sunt in refrigerium, & vitæ senatum inter Martyres possident laureati.



MA-

MANIPVLVS SEXTVS

Aliquorum passionem comprehendit, qui ad fidem à nostris allecti fuerunt in Iapponia, aut Augustinianae Reformationi se iunxerunt:



NTEQVAM ex hac terrestri, ac laboriosà vità Franciscus, & Vincentius ad domicilium, discederent, Sanctorum dum vinciebantur in carcere, & trunco de Vomùra: consolationem non minimam hauserunt, ex passione filiorum, quos in Christo Iesu verè genuerant, totque vitæ dispendijs, illorum spirituali saluti consuluerant. Eis quidem accomodare possumus, quæ S. Petrus Chrisolog. Serm. 134. de B. Martyre Fœlicitate dixit. *Ecce Patres, quos vita filiorum fecit anxios, mors securos. Beati, quibus in futura gloria tot adstant candelabra. Beati, qui tot præmiserunt ad Regnum. Manebant lætiores inter con fossa cadauera, quam inter consortia chara viuentium filiorum: quia internis oculis tot cernebant brauia, quot vulnera: quot tormenta, tot præmia: quot victimas, tot coronas.*

Persecutione enim in cunctos Christianos sæuiente, ad carceres vbique quærebantur; vt si tenebras amplecti antiquas nollent, confestim punirentur capite. Instante itaque Tyranni diligentia, multi inuenti fuere

cul-

cultores veræ fidei, & Augustinianæ Reformationis sectatores, qui vitam, pro illà, fœliciter fuderunt: suo que sanguine, istam decorarunt. In eo glorioso agone, tres Fratres laici, quam primum numerantur, qui duorum venerabilium Patrum comites, socijque peregrinationum fuerunt, ab ipsis ad nostram admissi professionem: vt (sicut cumulatè præstiterunt) essent in ministerio animarum adiutores. Scilicet.

Petrus à Matre Dei, Maiezòuæ in Regno Oxuensi, è Patre Gentili, & Christiana Matre natus, non illum errantem, sed hanc cœli iter suscipientem subsecutus, à venerabili Patre Francisco, iam iuuenis, fidei mysterijs initiatus, Augustiniano que Ordini dicatus: eiusdem laborum consors, & assiduus socius, in montibus de loquenùra, cum ipso fuit comprehensus.

Laurentius de Sancto Nicolao in oppido de Sasòco Regni Vomùræ, Parentibus pijs, & Christianà fide imbutis, ortus: ipsorum præclaras virtutes imitatus, valedicens Mundo, ac eius vanitatibus, in sodalitatē nostram cooptatus, zelo ardebat salutis animarum: operibusque intentùs pietatis, curabat infirmos, & auxilio pio iuuabat moribundos, ac multos ad Dei alliciebat cognitionem: cum in Insula de Firoxima est interceptus.

Augustinus à Iesu Maria, antequam Magno Patri Augustino vitæ seriem daret, appellatus Mansius, nobiles Parentes habuit in Regno de Cicugo: vnde aduenerant in Nangasaquium. Non multo post, Patre mortuo, cum Matre in exilium mittitur: quia Christianam excolebat Religionem. Delegit tunc ipse locum in syluis: & humili tugurio extructo, se ad mortem pœnitentià, lachrymis, & oratione, præparabat: cum Augustinianæ Reformationi à venerabili Vincentio attra-

tractus, suæ prædicationis comes eligitur: in eiusque contubernio, quousque à Ministris Tyranni captus est, permansit.

Hos similiter alij tres nostræ Congregationis sequuntur Mantellati. Videlicet.

Paulus Nangàti, in oppido de Cuchinotzu, Regni Tacacuensis, è Christiana stirpe productus, qui cum grassante in patria persecutione, venisset Nangasaquiũ, & nauticam exercèret, suæ familiæ victum quæsiturus: Tyranni iussu, fidem, aut artem deserere compellitur. Maluit ipse dimittere lucra temporalia, quam derelinquere legem Dei: itaque, pijs solum operibus addictus, Ministros Euangelij hospitio recipiebat. Cum vero Illustrissimi Ordinis Minorum, strictioris obseruantiæ, Patrum Excalceatorum causà, in Philippinas, nauigationem eum paràre, (vt Operarij alij conuenirent) esset exploratum: capite damnatus, constringitur ad montes fugere: in quibus venerabilem Vincentium comitatus, ab ipso in Mantellatorum cœtum fuit adscriptus, & tandem à persecutoribus prope insulam de Firoxima captus, in equuleo que explicatus, fidiculis, ac funibus ad ossa adactis: illum frustra tentatur deinde patefacere, vbi venerabilis Pater Franciscus delitesceret: quod licet postea tortores ex alio traditore resciuissent: incœptis tamen Paulum cruciatibus vrserunt, multisque exinde suaserunt lenocinijs, vt detestaretur Christi fidem: ad quæ inuentus immobilis, Nangasaquium adducitur, iterumque tormentis impugnatur: sed cum constanter suggestiones resisteret Diabolicas, ad extremum, in carcerem detruditur.

Ioannes ex oppido de Miye, honestisque Parentibus, Mansio, & Catharinà, exemplari vità claris; &

in

in excipiendo suis ædibus, Patres nostros, proprijsque sustentando facultatibus, magna charitate conspicuis: in cuius retributionem beneficij, Ioannem ipsum Mantellatum illi effecerunt: cui pietatis opera exercenti satellites Tyranni manus iniecerunt, & in carcere confestim deuinxerunt.

Sebastianus in oppido de Mogui, prope Nangasaquium, Cosmæ, & Luciæ filius, à Patribus Societatis Iesu baptizatus, bonisque moribus instructus, pro fide, longos labores, & exilia subijt. Deinde inter Mantellatos nostræ Congregationis aggregatus, & sanctis occupatus exercitijs, in quæstionem datur, vt Christi detegeret Ministros; in eaque, Patres prodire nolens, dolores patienter tolerauit. Demum ad fidei abiectionem grauiter tentatus: filijs, ac coniuge, supplicio, coram ipso, affectis, vt eorum passione moueretur, infracto animo, in proposito sancto perseuerans, vinculis carceris astringitur.

Hi sex (dum venerabiles Patres Franciscus, & Vincentius, alligati ad truncum Vomùræ tenebantur) in custodia, pene duodecim decursis mensibus, quos orationibus, & ieiunijs traduxerunt, vndique expugnantur ab Vneme, vt à fide descisserent Christiana. Illius ipsi conatus respuentes, vinculis licet vndique grauati, voluntarijs flagellationibus, continuis cilicijs, sacræque lectioni addicti, in fugam, validam illam turbam tentationum conuerterunt. Quamobrem Vneme accensus, eos capitali iudicio destinauit: quod ipsi audiuerunt genuflexi, gratias agentes Deo, qui, pro fide eius mori, eis concedere, dignatus erat.

Promulgatà denique sententià, dieque supplicio constitutà, quæ fuit vigesima octaua mensis Octobris, hora secunda post meridiem, per publicas protracti

Nan-

Nangaſaquij vias, in morti præparatum locum (vulgò Foconoſara) ducebantur. Magna ipſi lætitia procedebant: & ſpiritus incenſi ardore, inceſſanter Dominum Ieſum, alta voce, prædicabant. Hac de causa, Regij Miniſtri infenſi, funibus adſtrictis, eorum obſerarunt ora. Nihilominus verò, nutibus, ac ſignis, ab incœptà prædicatione non ceſſarunt. Poſtquam ad locum deputatum acceſſerunt, ſe inuicem ad mortem hortabantur, quaſi, cum Magno Patre Auguſtino ſup. Pſal. 117. dicentes. *Anguſtia noſtra tribulationis finitur, latitudo autem, quo tranſimus, non habet terminum*. Pronuntiatis demum, ac in auxilium inclamatis, mellitis nominibus Ieſu, & Mariæ, omnes pariter decollati fuerunt: præter Laurentium, qui ab humero ſiniſtro in dextrum, vtraque fuit parte diuiſus. Eorum nudata corpora, caſtigationibus apparuère lacerata proprijs, & nigreſcentia carceris ærumnis. Ad huius diei tantum metam, illorum labores equidem hæſerunt: inuictique in pace dormierunt, perpetuam conſolationem inuenturi.

Anteacto menſe ab iſtorum cæde, quæ fuit patrata Nangaſaquij: alij Vomùræ paſſi fuerunt, die vigeſima octaua Menſis Septembris, venerabilium Patrum Franciſci, & Vincentij exhortationibus, & viuis exemplis confirmati, qui vitam fundere pro Chriſto maluerunt, quam ad cultum redire patrium. Huius generoſi agminis anteſignani fuere, tres noſtræ Reformationis conuerſi. Scilicet

Petrus à Sanctiſſimo Sacramento, olim Ioièmon dictus, ex oppido de Firoxima, qui Patris Vincentij, in ſolitudine ipſius Inſulæ degentis, lateri adhæſerat, in eaque captus fuerat.

Ludouicus à Sancto Augustino, olim Quixiro, ex eodem oppido.

Ludouicus de Sancto Michaele, quondam Fachiro, in oppido de Iquiriqui natus.

Isti post diutinam decem mensium strictæ macerationem carceris, in quo, velut immunda bruta, iacuerant inclusi: fame, siti, alijsque ærumnis fatigati; induci non potuerunt in fidei Christianæ abiurationem: ideoque à Tyranno mortis sententia promulgata, igne glorioso sunt combusti. Admirabilis eorum fuit patientia, in vexationibus, insectationibusque suorum popularium sustinendis, quæ eò magis pungunt, quanto à propinquioribus, amicioribusque excitantur.

Vestigijs illorum institerunt viginti tres, eiusdem Reformationis nostræ Mantellati, seu fratres de Pœnitentia: qui eiusmodi labores, calamitates, tentationesque perpessi, capitum obscissione, vel corporum combustione, purpuream lauream inuenerunt. Videlicet:

Gregorius Rucozeimo ex oppido de Sasòco.

Petrus Cazùque, qui Patrem Vincentium, latebras quærentem, affectatus fuerat.

Maria coniux eius, ex oppido de Firoxìma: ex quo etiam maritus suus: igne consumuntur: & in medio flãmarum, expansis manibus, eleuatisque in cœlum oculis, immobiles, vsque ad spirituum emissionem, steterunt: quod alij similiter fecerunt.

Inter hos quoque annumeratus est Simon Iosiyòye, ex oppido de Miye, qui duobus ab illinc annis deceptus persuasionibus cuiusdam Gubernatoris, Tobinòga appellati: è militiæ Christianæ castris ad sectam transfugerat antiquam: factique postea pœnitens, amarè suum defleuerat peccatum, & palam facultatibus suis

foue-

fouerat Christianos. Postquam istud ab ipso cognitum fuit Gubernatore, ad se iussit illum accersiri: quem grauiter iratus Simõ, reprehendit, ingratissimũ se Dei beneficijs, male ab ipsa fide, defecisse: ideoque dolore affectum, suum rettactasse crimen, seque iterum esse Christianum confiteri. Tunc Gubernator fuit illi mortẽ atrocem comminatus: & hac die, antequam alligaretur ad palum, nudatus est: veste que paleis confectà indutus, adiecto igne, leuiter ambùri cœpit. Potuit equidem illud Magni Parentis Augustini sup. Psalm. 61. *Venit dolor meus, veniet & requies mea: venit tribulatio mea, veniet, & purgatio mea*. Tandem consumpta veste, fuit caput eius fuste immaniter percussum: & adhuc viuens, cum vxore sua, Gratia nomine, igni traditùs est, in quo fœlicem animam efflarunt.

Petrus Iaxichiro, ex eodem oppido. maritus pulcherrimæ cuiusdã, ac constantis fœminæ Magdalenæ, quæ ipso in carcerem coniecto, in domum fuit adducta Tyranni: vt ad fidem detestandam, eius mandato incitaretur: quod si illa eius faceret consilio, inde quasi victor exultaret. Iudicio vero, ac spe sua lapsus est: nam præsidio Diuino fulta, ipsius suadelas confudit, & conatus. Hanc animi præstantiam admiratus Iudex, varijs tormentis demoliri cœpit: sed illa gradum firmans in proposito sancto, ab animarum hoste victoriã reportauit: qui deuictus, rubòreque suffusus, eam, cum suo consorte Petro, in carcere teneri iussit. Vrgente iam mortis infligendæ hora, eius iterum, ad abiectionem Christianæ fidei r expugnatur animus: sublimi statu, diuitijs, ac honoribus propositis: quæ omnia, vt stercora, propter Christum arbitrata, hilari alacritate respondit, se malle membratim diuidi, quam eius consilijs iniquis dare auditum. Tunc Tyranni disso-

luta spe, simul cum Petro, igni cremanda datur: ipsum maritus, & vxor sicut suaues delicias pertulerunt: & in adiutorium, nominibus ascitis Iesu, & Mariæ, fœliciter in cœlum euolarunt. Erat tunc Magdalena prægnans: & infans, antequã lucem temporalis vitæ cerneret, tetendit in æternitatis lumen; nondumque plorare incipiens æterna gaudia possedit.

Michael Xichisce Ludouici Gozeimòn filius, & vxor eius Martha, eiusdem oppidi accolæ.

*M*ichael Iisiyòye, *M*ichael Suquezo, ex oppido de Coyàma: & Dominicus Cosiyòye, ex oppido de Nagàta.

Ignatius Teuqueiemon, ex oppido de Tegùma. Antonius Magosque, ex oppido de Coye. Michael Risque, & Clara ipso nupta, ex oppido de Curocùchi, eodem martyrij genere, vitam suam gloriosè finierunt.

Ioannes Cabiyòye. Ludouicus Gonemòn. Thomas Iaquichi. Michael Feisacu. Gaspar Saquùzo. Petrus Fazùque, ex oppido de Miye: & Paulus Xiemòn, ex oppido de Coye, capitum obtruncatione, cœlestem patriam adierunt: postquam de propositis sibi præmijs, ac pœnis terrenis, triumphauerunt. In ipsis reuera videtur adimpletum, illud Magni Parentis Aug. Sup. Psalm. 41. *Promisit eis multa Mundus iste, riserunt, clauserunt ianuam contra Diabolum, Christo aperuerunt.*

Vltimo hanc generosam aciem quadraginta sex alij decorarunt: à Venerabilibus Patribus Francisco, & Vincentio in Confraternitatis Corrigiæ Magni Parentis Augustini nomenclaturà positi. Scilicet.

Margarita vxor Gregorij Rucozeimo intra Mantellatos supra memorati, ex oppido de Sasòco.

Do-

Dominicus Iosiyòye, cum Magdalena sibi Matrimonio iuncta, & Thomas Nizo. ex oppido de Iquiriqui.

Michael Ichizeimon, & Elisabeth eius coniux, ex oppido de Nicumigauàchi.

Martinus Iirobiyòye, eiusque coniux Catharina, ex oppido de Ienoxima.

Marina vxor Michaelis Iisiyòye inter Mantellatos supra relati: & Rufina vxor etiam alterius supra positi Mantellati, Michaelis Suquezo nomine, ex oppido de Caxiyama.

Marina Dominici Cosiyòyè, similiter Mantellati, cōiux, ex oppido de Nagàta.

Iacobus Ficozeimon, cum Maria coniuge sua, ex oppido de Curosàqui.

Ioannes Chiugiro, Ioannaque in coniugium sibi collata, ex oppido de Xitcu.

Ioannes Fiyoyemòn, cum vxore sua Ruffina, ex oppido de Iquexima.

Michael Magozeimòn, Mariaque ab ipso in matrimonio habita, ex oppido de Tegùma.

Catharina, quæ matrimoniū contraxerat cum Antonio Magosque, inter Mantellatos assignato: Ludouicusque Goixichi, ex oppido de Coye, transeuntes per ignem, inuenerunt locum refrigerij, & luminis claritatem.

Michael vero vndecim, Dominicusque septem annorum, pueri: ac filij Gregorij Rucozeimon, & Margaritæ, ex oppido de Sasòco.

Petrus cum vxore sua, tribusque filijs paruulis, ex oppido de Iquiriqui.

Paulus, cum alio fratre suo, vterque natus Michaelis Ichizimon, & Elisabeth, ex oppido de Nicumigauachi.

Mi-

Michael Iiemòn, filius Martini Iirobiyòye, & Catherinæ, ex oppido de Ienoxima.

Paulus alter Suquegòrus, filius Petri Casùque, & Mariæ, ex oppido Firoximæ.

Ioannes septem annorum puer, filius Simonis Iosiyòye, & Gratiæ. Ludouicus Gozeimòn, Pater Michaelis Xichisce Mantellati. Paulus alter, quatuordecim, Michael nouem, & Franciscus, septem annorum, pueri, filijque Ludouici Gonemòn Mantellati, ex oppido de Miye:

Petrus quinque annorum puer filius Michaelis Suquèzo, & Ruffinæ, ex oppido de Caxiyàma: atque puer alter, ex oppido de Nagàta, filius Dominici Cofiyòye, & Marinæ.

Alexius, filius Iacobi Ficozeimon, & Mariæ, ex oppido de Curosàqui: puerque alter, ex oppido de Iquexima, filius Ioannis Fiyoyemòn, & Ruffinæ.

Dominicus Iinemon, & alter puer, etiam Dominicus, filius Michaelis Magozeimòn, & Mariæ, ex oppido de Tegùma.

Ioannes, & Ludouicus, vterque filius Antonij Magòsque, & Catharinæ, ex oppido de Coye, capitibus amputatis spiritum Deo reddiderunt.

Christophorus autem, quindecim annorum adolescens, ex oppido de Xeto, lanceis confossus occubuit: qui, constantia præclara, accepturus vulnera, in modum crucis aptauit brachia.

Præter hos numeratos: qui Vomùræ igne consumpti gladioque percussi, pro fidei defensione, fœliciter sanguinem fuderunt: in alijs Prouincijs Iapponiæ, eàdem de causà, diuersis cruciatibus mulctati, interierunt, ad perpetuamque fœlicitatem transmigrarunt; penè trecenti, eiusdem Corrigiatæ Confraternitatis Magni Paren-

rentis Augustini, alumni, ab ipsis Patribus Francisco, & Vincentio admissi, quorum nomina sunt in libro vitæ. Huiuscemodi maturos fructus in cœlum ipsum illi præmiserunt: vt simul fruerentur Deo, quem toto corde dilexerant: cuius subsidio, in hoc Mundo, tot mala, libenti, & pacato animo, pertulerant. *Non enim* (vt ait Magnus Augustinus Pater sup. psal. 63.) *tantas tribulationes tolerarent, nisi magnam quietem mente conciperent.*



M A-

MANIPVLVS SEPTIMVS

Praedicationis in Iapponia prosecutionem conseruat;



CHRISTIANORVM insectationis in Iapponia Apostolicam Sedem grauiter iam fama perculerat: cum mittere, pio filiorum affectu, Ministrorũ constituit auxiliares copias; vt Potestatum aërearum acie cõfligentibus adessent: aut in locum sufficerentur eorum. Nostros autem ad hæc paratos esse attendens: Decretum dedit huiusmodi. Die *30.* Nouemb. *1629.* *Sacra Congregatio.* (scilicet ad Propaganda Fide coram Sanctissimo.) *decreuit, ac primo censuit: sollicitandos esse superiores Augustinianorum* Excalceatorum; *vt missionem Fratrum, quam parant, quam primum ad* Iapponiam *dirigant; ne fideles, ibi degentes operarijs careant, præsertim hoc tempore, quo dicta persecutio durat.*

Velut Heliotropium ad Solem, sic animus nostræ Congregationis ad Romanum Pontificem obuersus, ipsi, vt decet, promptè morigerans, missionem Fratrum in Iapponiam dirigere curauit: quam etiam venerabiles Patres *F*rancifcus, & Vincentius, sine intermissione laborantes, suis litteris, indesinenter requisiuerant. Accincti ergo fuerant, ad id munus obeundum, sex Patres, Religione, ac doctrina præditi: qui

à Con-

à Conuentu Malinensi Sancti Nicolai digressi, in ipsam properare contenderant Iapponiam. Se autem Dei voluntate interponente: cuius iudicia incomprehensibilia, & inuestigabiles viæ sunt: in syrtibus de Bolinào, nauis, quam nostra Prouincia maximis parauerat expensis, depressa fluctibus, ac scopulis, perierat: Fratres que enatando vixerant, & postea in Manilam, magno labore, doloreque redierant. Nec aduerso successu isto, Sancti Nicolai Prouincia propositum abiecerat: sed toto conatu, in rem illam incumbens; nouis magnis sumptibus, meritoriam aliam nauem instruxerat: in eaque tres Fratres expedierat: & similiter, sicut prius, irritum fuit, ac inane votum. Tertio, summà ope, nixa, duos alios ablegauit, vt ad minus, in Insulà pulchrà, è regione Iapponiæ sità, pedem figerent, ex eà que Apostolicum exercerent ministerium: & eodem modo, per binos menses, continuo, aduersis maris fluctibus iactati, perdifficilemque nauigationem passi, tandem ad Manilæ portum appulerunt. Eventus etiam iste solatium ademit; sed non animum, & vltimò Patrem Martinum à Sancto Nicolao, vrbis, ac Conuentus Cæsaraugustani in Aragonià, Patremque Melchiorem à Sancto Augustino, vrbis & conuentus Granatensis in Bœticà, gloriosa germina misserunt: qui octauo die, postquam à Manila abscesserant, & decimo secundo Augusti, in portum Iapponiæ fœliciter inuecti fuerunt.

Scripserat antea Martinus, dum Supprior Conuentus Sancti Nicolai Manilensis esset, epistolam quamdam ad memorabilem virum illum, Patrem Hieronymum à Resurrectione, nostræ Congregationis Vicariū Generalem primum, optimo Regulari regimine clarum; in qua dolens retulerat, se missioni Iapponicæ destina-

tum; vehementium aduersitate ventorum; non potuisse suum implere desiderium: tandemque his verbis, illius vltimas lineas duxerat. *Tuam Reuerentiam deprecor (si visum fuerit conuenire) adeundi in Iapponiam facultatem, mihi testimonialibus litteris concedere: nam licet huius Prouinciæ Superiores, effectu, in præteritâ, speque, venturâ expeditione, desiderij præstiterint medellā: attamen magni facerem veniam, & benedictionem Reuerentiæ tuæ: cui veritatem loquens toto animo asseueranter dico, me in Iapponicam missionem rapi, ad eamque, meam esse procliuem voluntatem, quam tuæ subijcio Reuerentiæ, & omnibus Prælatis pro tempore existentibus: vt ipsi de me disponant, quod eis videbitur expedire. Hunc, meum intimum sensum patefacio: vt Reuerentia tua, precibus suis, me iuuet apud Deum, & iubeat, quod voluerit, eiusdem seruitio magis consonum.* Præluxit reuerà, in Superiorum voluntatis consensu, Martini sublimis obedientia, quà Deo fuit valde acceptus, vt enim inquit Magnus Augustinus Pater Serm. de obed. & humil. *Nihil sic Deo placet in Religioso, quemadmodum obedientia*: ipsa que ductrice, fuit multarum virtutum exercitio præditus: nam optime S. Greg. dicit in mor. lib. 35. *Obedientia sola virtus est, quæ menti cæteras virtutes inserit, insertasque custodit.*

Paupertate enim insignis, ac conspicuus, virginitatis flore, quem illibatum, toto vitæ tempore, custodiuit, aureæ magni Parentis Augustini Regulæ fuit sedulus obseruator: antiquorumque Monachorum imitatus exempla, voluntarijs castigationibus, ita sui corporis domitor euasit, vt omnibus Prouinciæ consodalibus admirandus fuerit. Ambitione carens (quæ in Religiosis ferax amentia est: vt ait mellitus Pater. B. Thomas Villanouanus. *Quid delirius? Quid insanius? quam*

sub

sub humilitatis vexillo, ambitioni militare, & in Magistri humilis scholà superbiam profiteri) multoties in Priorem aliquorum Conuentuum electus, humiliter ea officia recusauit. Nouerat planè in cellæ secessu grandia occultari bona: è quibus vnum inter omnia maximum D. Bern. apprime expressit, in Tract. de vita solitaria, dicens. *A cellà enim sæpe in cœlum ascenditur: vix autem vnquam à cellà in infernum descenditur. Moriens enim vix, aut vnquam aliquis, à cellà in infernum descendit: quia vix vnquam aliquis, nisi in cœlo prædestinatus, in ea vsque ad mortem perstitit.*

Prælatorum vero instantibus præceptis, Supprioratum, & Magisterium Nouitiorum in Conuentu Manilensi Sancti Nicolai acceptauit, idque per nouem continuos annos integerrimè administrauit, perpetuà assistentià Chori, ac Conuentus arctà clausurà, quam minime violauit, nisi à Superioribus ad infirmos sæculares missus: quorum visitationibus, panis benedicti Sancti Nicolai beneficio, mirabilia multa patrata, communiter, narrantur: ideoque, in tota Manilensi vrbe, ipse, velut sanctus, habitus fuit, ac veneratus. Nec minori erat misericordia erga ægrotantes Fratres, quos die, nocteque inuisebat: & charitate incensus, Infirmarij munere admisso, prompta alacritate, leuabat. His occupationibus minimè distentus, mentali orationi vacauit assiduè, quam profundo fundauit humilitatis fulcro: silentijque sustentaculo, de virtute in virtutem, ad fastigium peruenit Religiosæ vitæ: se, exercitationibus istis, præparando ad mortem, pro fide Christi, subeundam.

Postquam igitur, ad Iapponiam cum Patre Melchiore de Sancto Augustino (qui antea non sine fructu, suis laborauerat concionibus) accessit: benignè ab af-

flictis Christianis fuit acceptus. Feruebat tunc valde persecutio, Venerabiliumque Patrum Francisci, & Vincentij vltima passionum propinquabat dies; quos minime alloqui, aut salutare potuit: ipsorum tamen supplendo vices, per Christianorum domos vterque discurrebat, eos que, ad tribulationem præsentem constanter suscipiendam, verbis, & exemplis muniebant: vt huius vitæ stadio breuiter currentes, brauio afficerentur, æternum duraturo. Hoc subsidio, oppressam Christianitatem sustentarunt, & die Patribus Francisco, & Vincentio, ob mortem temporalem, fœlicissimo, à longe, illud acceptabile Deo sacrificium, sanctà æmulatione, prospicientes, steterunt.

Elapsis deinde pene tribus mensibus, quos in prædicatione, & sanctis operibus insumpserant: die tertia Nouembris, à Sinis quibusdam agniti, ac coram Tyranno accusati, eò quod fidem Christi contra illius inuiolandum edictum in Iapponia seminabant, ipso iubente capti sunt, & in Nangasaquij carcerem detrusi: vbi eos præcepit detineri, vt instantius ipse, vehementius que à fide Christiana curaret deturbari: ac quod nequiuerat Francisco, & Vincentio consequi tormentis, Martino, & Melchiore, facultatibus, honoribus que propositis, perageret. Eo ergo animo, & mente, varias illecebras parauit: Imperatorisque nomine, præmia honorum, & opum multa promisit, si fidem, quã prædicabant, retractarent. Vno ore, ad hæc illi responderunt, se nullum alium habere honorem, nullasque diuitias æstimare; nisi multa pro nomine Iesu pati, cuius Euangelium propalabant. Pertinaciter Tyrannus contendebat, fidei execrationem à Patribus committi, sed longe aliter, ac sperabat, id euenit: quamobrem suo delusus cogitatu: sententiam protulit, in qua eos

igne

igne decreuit consumendos, & statim illam exequi mandauit.

Deffinita die, quæ eiusdem anni fuit vndecima Decembris, ab ergastulo deducti, in vstrinam, per medias vias ciuitatis, ducebantur: adauctis alijs, Patrum ipsorum Doxicis, vt qui consortes fuerant laboris, etiam præmij fierent participes. Nequaquam tristi incedebāt vultu, sed lætitiam suscipiebant magnam, quoniam digni habiti fuerant, pro fide vera, vitam fundere: & Psalmos, Hymnosque indesinenter Domino cantabant. Postquam ad locum combustioni paratum accesserunt, laqueis ita ad columnas fuerunt alligati, vt statim exire possent, si fidem vellent deserere Christianam. Conuenerat ad spectaculum istud hominum multitudo magna, ipseque etiam Tyrannus Vneme aderat: cum Pater Melchior, è columna, tanquam è suggestu, tantum illum concursum habens auditorum, alta voce, Deum confessus est, eiusque fidem cœpit prædicare: ac potius ardentibus Diuini amoris verbis, quam vbertate dicendi, fandique copià, qua erat valde præditus, Tyrannum alloqui, & arguere de peccato exagitationis Christianorum, Ministrorumque Euangelij, quos quamquam ipse in cœli requiem, veluti esset fortè bonus Genius, cruciatibus inferebat transitorijs, se tamen, horrendis, intolerabilibusque pœnis, perpetuo detrudebat distorquendum: & in Tartarum quasi rudentibus iam detrahi; quia non cognouerat visitationem Dei, qui Legatorum suorum monitis ipsi, cunctisque gentibus Iapponicis, vitam æternam proponebat. Melchioris verba absorptus, & attentus, Tyrannus auscultàuit: conuictusque (quamquam obstinatus) lachrymas reprimere non valens, in largum erupit fletum, quem tegere, linteolum faciei applicans, curauit:

uit:

uit: ac rubore suffusus, in domum suam celeriter tetendit, vt ignificium absoluerent Ministri.

Accensâ pyrâ, Melchior, & Martinus passionum suarum socios, ad ignis tolerantiam, excitabant; gentium que illarum turbæ prædicabant circumstanti: cum vnus è Doxicis Patrem Martinum inclamauit, vt amplius ipse pectoris eius domum pœnitentiæ purgaret Sacramento: quod audiens discessit è columnâ, per medios que ignes transiens: qui (vt multi præsentes affirmarunt) ipsi videbantur obedire: præstitit attentas aures, dataque absolutione, ad amabilem redijt stationem: quod similiter fecit, ardenti charitate, secundo, & tertio, alijs etiam Doxicis petentibus. Asseuerârunt insuper oculares testes, Martini faciem, in medio flammarum, apparuisse circumdatam splendoribus, nimiâ que decoram pulchritudine.

Denique in cœlum subleuatis oculis, qui fuerant amabiles in vita, Deum Hymnis, & Psalmis; in morte non diuisi, collaudabant. Tunc se inuicem confirmantes illud D. Anselmi Sup Epist. 2. ad Corinth. cap. 4. potuerunt dicere. *Ad comparationem æternitatis omne, quod in præsenti vita patimur, momentaneum est, licet diuturnum esse videatur, ideo supra modum tribulationis, est magnitudo remunerationis*. Decem, & octo horas Martinus vixit in igne: columnæ que adhærens, quousque euolauit ad superos, nunquam à Diuinis colloquijs, & concionibus cessauit: Melchior vero paul ò antea spiritum Deo reddidit. Eorum corpora, ne haberentur à Christianis, iterum igne applicato, in cineres redacta fuere, quæ mox in altum mare deiectæ. Dicunt etiam, quod dum Melchior, & Martinus, eorumque Doxici, igne cremabantur, au is quædam alba, & magna, illis regionibus peregrina, ac ignota, visa fuit super

per

per ipſos volitans: quæ, quaſſatu alarum, totum circuibat rogum; & poſt eorum mortem amplius non comparuit. Mirabilis quidem Deus in omnibus quæ operatur, ſed mirabilior eſt in altitudine conſilij, ſuper ſalutem hominum, in quibus ſuas delicias collocauit: ideoque rudi gentilitati, ad eius ſe captum accommodans, videtur; voluiſſe oſtendere ſignis his externis, veræ ſuæ fidei certitudinem, vt exinde ad ſui cognitionem, amoremque attraheret.





M A-

MANIPVLVS OCTAVVS

Venerabilis Virginis Mariae Magdalenae vitam coagmentat, & passionem.

MINISTRIS Christi, ac cæteris illata mors superstitum Christianorum obnubilauerat afflicta corda: acerbumque animi sensum, & vix consolabilem dolorem sustinebant: cum in tam maxima angustia, montibus includi, speluncis, & cauernis terræ, solum eis vnicum perfugium adfuit: diuturna persecutione durante, quæ Iapponicam Christianitatem, ita presserat, ac in tam magnum adduxerat discrimen, vt, Christiferis carendo Ducibus, ad pristinos gentilitatis ritus, ipsa sensim videretur prolabi. (Calamitas reuera flenda, omniumque eiulandarum maxima, tot animas, quot Iapponia capit, Sacerdotum inopia, præcipites in Infernum ruere) Miserabilium autem vicem condolens pius, & clemens Deus, cuius miserationes super omnia opera eius, infirma Mundi elegit, vt firmos Christicolas in fide retinêret, vacillantes vero, contra Diaboli, ac Tyranni impetus, & tela, armaret: complurefque infideles ad eius cultum, & cognitionem adduceret: ac sapientes, fortesque confunderet: Virginem scilicet Magdalenam, quæ Nangasaquij diuitibus, nobilibusque Christianis orta Parentibus; Sed multo ditioribus, ac nobilioribus, tam Magdalenæ

dalenæ procreatione, quàm pro tuenda Christi fide, proprij sanguinis effusione: à Venerabili Patre Francisco de Iesu in Mantellatarum nostri sacri Ordinis cœtũ ad professionemque, quam ipsæ solent facere, admissa, ad Doxicorum etiam munus transijt. Eius vitam, Dimetro Iambico concinnimus, quam hic apponendã duximus, vt suauiter sollicitet legentium attentionem.

OBducta densis nubibus, Status Iapponicæ Ditionis
Atroque mortis limine,
Iacebat olim squallida,
Noxisque fœda maximis,
Omnis quidem Iapponia,
Hosti cruento subdita,
Dira, & caterua Dæmonum,
Quæ tot dolis irretiat.
Inanis illam falsitas
Cæcam diù deluserat,
Tenebat, & superbia,
Feroxque peruicacia.
Instructa prauis legibus
Errabat in notissimis,
Sibique multum complacens,
Spernebat inde cæteros.
Cum sede ab alta siderum, Prædicatio Euangelij.
Ipsi Deus pijssimus
Volens medèri, & pellere
Radicitus dementiam:
Ardentem amore viuido Laus S. Francisci Xauerij.
Missit salutis Nuncium
Apostolum Xauerium
Cæli ferentem pharmacum:

Iesu Sacrati nominis
Lucem coruscam scilicet,
Vt cuncta vana destruens,
Vitam daret cælestium.

Societas Iesu Illum sequentes postea
Eius sodales optimi,
Hæreditate spiritus,
Fructum laboris congerunt.

Ordo Minor. Qui se minorem fecerat,
Dum maior esset plurimis,
Vexilla Crucis baiulans
Prostrauit arces Tartari.

Ordo Præd. Successit illi ardentibus
Incendium ingens, fascibus,
Latrans, vbique, & applicans,
Orcum repleuit cladibus.

Ordo Erem. E cordis icti fulgidas
Iecit sagittas intimo
Sublimis ille Aurelius
Veri columna dogmatis:

Ferire cœpit anxius
Culpis grauatos lubricis,
Algentium ardent viscera,
Amoris auget victimas.

Reform. eiusd. Ingentis instar turbinis
Nouatus ipse spicula
Contorquet; vrget Dæmonis
Superbiam, & tyrannidem.

Franciscus, & Vincentius,
Feruore legis incliti,
Fructus legunt vberrimos,
Sacrisque condunt horreis.

Hic lucet ille candidus, | Magdalena
Rubrusque, flos pulcherrimus,
Rosa & pudica, nomine,
Quæ Magdalena dicitur.
Hæc nata Nangasaquij, | Parentes eius, ac fratres
Ex stirpe clari sanguinis.
Veri colentes Numinis,
Pij Parentes vixerant.
Pecunijs amplissimè
Argenti, & auri diuites,
Vt stercus has abiecerant,
Christi lucrandi gratiâ.
Subinde vitam fuderant,
Charis simul cum filijs,
Tormenta dira fortiter
Postquam ferentes, vicerant.
Orbata mansit dulcibus | Virtutes
Sinus paterni amplexibus,
Bonisque cunctis sæculi,
Nuptura Sponso cælico.
Amantis huius æstuans, | Virginitas.
Castum procurat lectulum,
Requirit, & virtutibus,
Eius suprema fœdera.
Voto puella obstringitur
Iam castitatis integræ,
Quo vita fit mortalium
Par Angelorum propria.
Exinde voluit codices, | Lectio sacra.
Lingua reductos patria,
Suspensa Christi perlegit
Opus benignum gentibus.

Pœnitentia. *Corpus domat tenerrimum,*
Castigat illud acriter,
Seruare nutum spiritus,
Pœnà statutà comprimit.

Meditatio. *Amore Sponsi saucia,*
Illum requirit dulciter
Orans, & in silentio
Expectat, accit, prouocat.

Contemplatio. *Sonante Sponsi in auribus*
Iam voce cordis tinnula,
Occurrit, & amplectitur,
Eius quiescens vinculis.

Fit Mantellata. *Magnum Patronum deligit,*
Qui expertus his amoribus,
Latam viam monstrauerat
Cunctis eum sequentibus:

Hic est Parens Aurelius.
Qui charitate præditus,
Produxit auri Regulà
Tot sanctitatis germina.

Franciscus illam vestijt
Pullis Eremi ornatibus
Nostra redundat gaudio
Virgo decòra maximo.

Iam captus annus temporis.
Probationis fluxerat.
Professa fit: cum lachrymis
Se vouet alto Numini.

Coadiuuat in conuers. gent. *Zeli Parentis particeps*
Ardere cœpit pectore,
Gentes ad àstra ducere
Verbis disertis nititur.

Fran-

Franciſcus vt percalluit
Hunc Magdalenæ feruidum
Zelum, cooptat Doxico
Gauiſus illam muneri.
Flammas ab hinc ex intimis
Crebrò profundit igneas,
Turbæ feriri intrinſecis
Videntur in præcordijs.
Exponit his myſteria
Nôſtræ ſalutis omnia:
Miratur audientium
Cœtus, fides deſumitur.
Baptiſma plures poſtulant,
Promittit ipſa alacriter.
Legis docet primordia
Eius, ſacràta, neſcios.
Si tunc Sacerdos venerat,
Aut proximè coniecerat,
Adeſſe, difert luſtricum
Fauſtum diem poſcentibus:
Sin vero gentis patriæ Baptizat.
Vitæ perennis appetens,
Immergit vndis limpidis
Quotquot volebant ablui.
Contenta nondum transfugas, Arguit fidei deſertores, & reducit.
Tormenta quos teterrima,
Antiqua vòta proſequi
(Proh mæror) obligauerant.
Vultu ſereno crimina
Conuincit, vrget, arguit,
Ad pœnitentiam attrahit,
Mellita vertìt famina.

Fidem

Fidem ſupremam quomodo,
In qua ſalus durabilis
Duntaxat eſt, contemnitis,
Timore quam turpiſſimo?
Quæ cæca vos dementia
Inuaſit, vt viliſſima
Sumatis inde ſtercora,
Auro relicto nobili?
Inſigne cur rependitis
Sic, illud, eſt quod optimum
Opus ſalutis, præmij,
Et largitatis maximæ?
Nil diſplicet, veriſſime,
Magis Deo, quam peſſima,
Ingrata, & his obliuio,
Quibus nimis prouiderat.
Vos noxa Adami plaſmatis
Certe tenebat liuidi
Alta repulſos patria,
Seruosque turpes Dæmonis.
Vos fœda multum prauitas
Iam cœperat medullitus,
Humana monſtra fecerat,
Vel bruta mentis neſcia.
Vos ipſa Chriſti Charitas
Redemit, & caligines
Cunctas fugauit tetricas,
Cum venit alto ex Aethere.
Adhuc voluti luridis
Eratis ignorantijs,
Cum miſſit huc quam feruidos
Legis Miniſtros optima.

Vos

Vos vt grauatos Tartari
Dimitterent è vinculis,
Et celsa cæli sidera
Calcare vos adducerent.
Istis receptis nuncijs
Fidem dedistis publicam,
Caligo mentis finditur,
Rubigo prima concidit.
Hoc grande donum venerat
Vobis, quidem, nequissimis
Gratis, supernè; perditi
Ne essetis omnes inferis.
Cur ergo vos formidinem
Passi, scidistis, primitus,
Promissa voto supplici;
Vultis nec hoc persoluere?
Audite voces deprecor
Pastoris almi consonas,
Ouile tutum quærite;
Ne vos hic error opprimat.
Purgate pænitentià
Culpas, & imis fletibus:
Parcebit vlnis obuijs,
Nam vos amat tenerrimè.
Ad dicta contremiscere
Iugratus omnis incipit,
Deplorat actum dissonum,
Caulam requirit propriam.
Hoc occupatà munere
Degit puella nobilis
Occulta, sæpe gentibus
Mores iniquos exprobrat.

Vrge-

Crescit persecutio. *Vrgebat at vexatio*
Oues in omnes simplices
Christi gregis, dirissimis
Cæduntur ipsæ victimis:
Franciscus, & Vincentius,
In igne, comprobauerant
Sermone, quod iam dixerant,
Vitamque dulcem fuderant.

Petit deserta. *Vrbis focos relinquere,*
Ad antra nunc compellitur
Adire tristis, orphana
Virgo, carens solatio.
Illam sequuntur agmina,
Quæ dira persecutio
Affligit, & celerrimè
Vult morte durà plectere:
Vterque sexus, paruuli,
Sugentium matrum vbera,
Et grex tener, quem plurimi
Senes simul circumfluunt.
Terræ cauernas incolit,
Duntaxat herbis victitat,
Discerpit artus maximo
Rigore pœnitentiæ.
Iam sæpe Nangasaquium
Vrbem cupit descendere,
Fidem Tyranno vt prædicans,
Immanitatis arguat.
Sensum tamen tunc distulit
In tempus opportunius,
Mœsti & leuamen exules
Eius petebant pauperes.

Votis

Votis pijs obtemperans, Solatur afflictos.
Modesta verbis dulciter
Pellit timorem cordibus,
Laboris addit gaudium.
Christi refert sanctissima
Exempla, quæ præceperat
Ipsum sequi volentibus,
Viresque adauget omnium.
Gaudete nunc, quam maximè,
O vos fideles optimi,
Dicit serena, commonens
Firmat, docens annuntiat.
Hæc namque dura corporum
Aduersitas amabilis
Bonis abundat grandibus,
Thesaurus est & abditus.
Hæc dura mentis vincula
Disrumpit, & discrimina:
Facit potentes, diuites,
Caduca donat spernere.
Vobis opes hæc abstulit
Fluxas, auaras, mobiles:
Dedit supremas affatim
Fixas, amicas, perpetes.
Vobis domos terrestribus
Plenas ademit omnibus,
Præbebit in cœlestibus
Palatium altum, Regium.
Priuauit hæc vos patria,
Quam Mundus iste præstitit,
Largitur, & proprissimam,
Quam culpa fœdè amiserat.

Hæc fecit hostes Regulos,
Xogùm ferum Iapponicum,
Sanctos amicos reddidit,
Ipsumque Numen cælicum.
Videte nunc (vos obsecro)
Quot lucra vobis venerint,
Ob parua, quæ repellitis:
Constanter ergo viuite.
Piæ cáterua pectora
Sic Virgo verbis temperat,
Factis suis que roborat,
Sectans Magistrum cælicum.
Inclusa quamuis montibus
Manebat, eius eloquens
Sermo, trahebat barbaros:
Acquirit inde perditos.
Ipsam latentem quæritant
Multi salutis anxij:
Fouet benigna, proijcit.
Acuta cæli spicula.
Audite vos Iapponij
Insigne, quod nunc profero,
Opus salutis vnica,
Christi fidem sanctissimam.
Hæc est, Deum, *quæ maximum*
Vnum fatetur omnium,
Qui Regna *cæli possidet,*
Et cuncta, quæ sunt infima.
Hic solus altè intelligens,
Aeternus ante sæcula,
Cælum creauit lucidum,
Et omne, quod nunc cernimus:

Infideles veniunt, & persuasionibus eius conuertuntur.

Plasmauit hic de puluere
Nostrum genus leuissimo,
Gratisque par cælestibus
Fecit fere tunc Angelis.
Vt seruiens, cognosceret
Ipsum Deum, qui gloriæ
Illi futuræ præmia
Parauerat perenniter.
Hic ipse, qui fefellerat
Illud, fugauit Dæmonem:
Mittens ab alto Filium,
Saluaret, vt quod fecerat.
H*ic carne nostrà apparuit,*
Crucem subiuit innocens,
Surrexit, & fortissimum
Mortis scidit chirographum.
Vobis, hic est, quem prædico:
I*n Cruce fixum: crimina,*
Antiqua cum præsentibus
Ignoscit hic mitissimus.
Non vult cruentas corporum
Cædes, vt est Iapponico
I*n more, qui tot decipit.*
Vt se necent crudeliter.
P*ræcepta solum dulcia.*
Seruanda dat mortalibus:
Cordis petit tantummodo
Libamen acceptabile.
Septem libenter pharmaca
Confecta donat proprio,
Sanemur vt nos, sanguine.
O magna verè charitas!

Hac ergo vos assumite
Deus colatur vnicus,
Verax fides, & vnica,
Baptisma sic, & vnicum.
Addebat inde plurima,
Quæ legis alma dogmata,
Erat necesse dicere,
Hæc Virgo, magno spiritu.
Ardore cuius pectorum
Gelu resoluit gentium,
Baptisma multi flagitant,
Ministrat ipsa sedulo.
Fermè duobus integris
Annis remansit condita,
Distenta sanctis munijs,
Curis reiectis sæculi.

Viget persecutio.

Vneme, Nangasaquij,
Immittis, atrox, improbus,
In Christianos sæuiens,
Hos opprimebat interim.
Acerba strages igneis
Aquis Arimæ corporum
Impùne fit fidelium:
Sanguis redundat innocens.
Vrbis rubebant murice
Intincta valde compita,
Agri replentur ossibus,
Cremantur igne torrido.

Dolet de illa, & vrbem vult accedere.

Audiuit hunc in abditis
Antris furorem Barbari
Dolore tacta intrinsecus
Hæc Virgo lachrymabili.

Amo-

Amoris icta, cuspide,
Sponsi dolet sic confici
Totum gregem crudeliter,
Eiusque legem proteri.
Decernit vrbem pergere,
Fidem fateri publicè:
Verbis Tyranno ostendere
Crimen palam nequissimum.
Illi repugnant maxime
Quotquot cauernis montium
Teguntur; & solatium
Nolunt probum discedere.
Christo deinde debiti
Honoris ardens attrahit
At zelus: illam fortiter
Iam mors ferenda pellicit.
Discessus instat, lachrymas
Profundit imo è pectore
Tristis caterua fertiles,
Salutat illa comiter.
Commendat ipsa plurimum
Constantiam in laboribus,
Sublime spondet præmium,
Deserta prorsus deserit.
Suos focos iam prospicit, Petit vrbem
Accedit vrbem patriam,
Intratque Eremi flosculus
Spargens odorem cælicum.
Adit Tyranni protinus
Tribunal ad dirissimum,
Inquirit illum vocibus,
Eius capit præsentiam.

Mi-

Tyrannum reprehendit.

Mirère ne iuuenculam
Me velle (dicit) alloqui,
Audacter, isthic, dummodo,
Christi sequaces enecas.
Immane monstrum sanguinis,
Ardens siti perarida;
Videris inexplebile,
Humanitatis inscium.
Attentus esto paululum,
Hæc verba corde percipe
Sensus mei, quem profero
Tibi libens veraciter:
Hac vrbe Nangasaquio
Sum nata; non id abnego,
Me Christianam glorior:
Hoc est mihi iucunditas.
Pios Parentes perdidit,
Quam concitasti turbidus,
Acerba persecutio,
Quæ tot facit hinc exules.
Orbata mansi sæculi
Et rebus ipsa labilis,
Opes amaui ditior,
Quæ permanent perenniter.
Franciscus, & Vincentius,
Quos ignis atrox abstulit,
Mihi Magistri dogmata
Christi dederunt incita.
Eius colentes opprimis
Cur ipse pœna squallida,
Victu negata, carceris,
Tanquam nocentes indicans?

Di-

Discerpis artus balneis
Cur sulphuris feruentibus?
Decocta monstrant viscera
Tunc ossa nuda carnibus?
Rogos voraces erigis,
In quos, seuerus conijcis,
Tot membra Christi, & ignibus,
Consumis ipsa diriter
Tormenta quaeris barbara,
Ipsa vt timentes assecla
Christi relinquant prouida,
Et tuta, castra, turpiter.
Incumbis his quam plurimum,
Nullum laborem desinis,
Lucrum putas & maximum
Tot innocentes persequi.
Serras acutas conficis
Saeuis rigentes dentibus,
Quibus cruentè diuidis
Deum fatentum corpora.
Vt nomen almum cordibus
Iesu feras è candidis,
Mucrone duro traijcis
Velut fenestras aperis.
Vt nulla sit confessio,
Nec verba Christum praedicent
Mox cesset & laudatio,
Caput securis amputat.
Conaris ipse perdere
Christi latentes funditus
Oues: procuras diligens,
Eas capi velociter.

Pos-

Possis vt istis exequi
Dirissimam sententiam,
Flammas, & ignes subijcis
Syluis opacis omnibus.
Tanquam fugaces montibus
Captare ceruos asperis,
Clamore, turbà, cursibus;
Vis, quæris, & circumdare.
Quascumque cymbas vinculis
Terrà teneri præcipis;
Ne casus adsit protegi,
Quos luce vis discedere.
Ambis fidem dimittere
Christi tuis de finibus:
Vt omnis illos Dæmonis
Ritus sequatur pristinos:
Commotus irà mortuos
Imis sepulchris eruis,
Si Christus obsignauerat,
Vt ossa sæuus torqueas:
Compellis atrox fœminas
Multas, tumentes paruulis,
Christi fidem repellere
Verbis, eorum nomine,
Frustra quidem consumeris,
Vano furore, feruidus,
Viuet fides sanctissima
Christi, per omne sæculum.
Istam velis Iapponicis
Regnis coli perenniter,
Omnes docet certissimè
Verum Deum cognoscere.

Hæc

Hæc cuncta reddit próspera,
Coniungit & cælestibus:
Hanc tù sequi; ne despice,
Eris pius, lætaberis.
Nunc ergo sic doloribus
Trux occuparis intimis,
Affligis hosque innoxios
Ferox homo, vel bellua.
Tuum rigorem prædicant
Tormenta quotquot iuuenis,
Sanguis rigatus plurimus,
Cinis reiectus ossium.
Montes & omnes insuper
Nolunt fugas admittere:
Antris trementes proprijs,
Iras minaces exprobrant.
Scinduntur ipsa frigida
Et saxa, reprehendere
Tuam queant vt ferream,
Fragoribus, sic indolem.
Ignis furores arbores
Passæ, velut clamoribus,
Eos suis redarguunt,
Ramis adustis omnibus,
Intincta currunt flumina
Rubro colore sanguinis;
Tuum videntur lachrymis
Lenire pectus marmoris.
Voces profundas omnia
Et bruta mittunt nescia,
Nemus relinquunt, horridà
Fugantur inclementià.

Vaſtata lugent oppida,
Et incolis carentia:
Vterque ſexus ſuſcipit
Pœnas, dolos, iniurias.
Te met celer iam denique
In atra ducis limina
Orci: ſcelus grauiſſimum
Illic lues, quam fortiter!
Ni pœnitere elegeris,
Pudens tuorum criminum,
Nam tunc Deus clementiæ
Parcet tibi nequiſſimo.

Stupet Tyrannus.

Attentus hæc audiuerat
Atrox Tyrannus Virginis
Iam verba, cum videntibus
Cunctis, remanſit territus.
Nequibat ipſe fundere
Voces, vel illam cernere,
Rubore, vultu concito,
Tunc occupatus maximo.
Volebat amens protinus
Verbis eam conuincere;
Obiecta neſcit ſoluere,
Ignarus hæc dat vltimo.

Reſpondet Tyrannus.

Attentus aures præſtiti,
Vt tu petiſti: exhorreo,
Dum te ſequi veſtigia
Legis noua cognouerim.
Antiqua Regni patrij
Te miror ipſam dogmata
Replere tot conuicijs,
Et iuſſa noſtra ſpernere.

Tu

Tu vis, volunt vt cæteri,
Quibus molestum viuere,
Falli verendos Bonzios,
Nobisque vana dicere.
Tu vis eam quam sæculis
Legem tenemus plurimis,
Christi receptà, linquere,
Credens, ferunt quod aduenæ.
Edicta nescis, sciscitor?
Quibus iubetur, cædibus,
Quod nullus ex Iapponijs
Ipsam capessat credulus.
Quapropter hic conceditur,
Tibi, datur vel optio,
Vt præmium magnum eligas,
Aut te dolori præpares.

Suadet vt abiuret fidem.

Legem relinque protinus
Christi nouam; ne contumax
Nostræ resistas obsequi:
Meum fauorem posside.
Est nota cunctis claritas
Stirpis tuæ; non abnuo,
Fatentur omnes publicè,
Ego met hoc cognoueram,

Proponit nobilitatem.

Te pulchritudo maxima
Exornat, & candoribus
Luces venusta, amabilis,
Grauis, puella, plurimis.
(Tantum decem lustrauerat
Et octo cursus annuos,
Aetate Virgo nobilis,
Virtute quam repleuerat)

Laudat pulchritudinem.

Promittit nuptias.

Tibi parabo nuptias
Tuo decori congruas,
Quaram Maritum diuitem,
Iapponiâ totâ agnitum.

Honoribus, & diuitijs allicit.

Claros honores congeram,
Vt tu fruaris commodis.
Gazamque multam congrego,
Donabo; quod non cogitas,

Eruit opes.

Lucutus ista, præcipit
Suis potenter seruulis,
Opes vt ipsi proferant:
Impletur, & mox iussio.

Saccis onusti prodeunt
Nummis repletis aureis,
Magno grauantur pondere
Aeris corusci millium.

Promunt deinde capsulam
Gemmis refertam fulgidis:
Statim patent monilia,
Saphirus, & Topazius.

Hoc omne, dicit, suppetit,
Vneme nostræ Virgini:
Possis vt ipsa viuere
Multis abundans gaudijs.

Mentem tuam sic temperet,
Quod cernis, hoc spectaculum,
Vt omnibus præstantior,
Nomen relinquas posteris.

Ne dira mors exterminet,
En ista, quæ spoponderam,
Nunc solue quæ rogaueram,
Tuæ saluti consule.

Vlr-

Virgo tacebat audiens,
Quæ verba nequam fuderat
Vneme, nitens perfidis
Modis eam consternere.
Ad illud ergo prælium,
Amoris alti saucia,
Ardet virago, approximans,
Respondet hæc robustior.
Quæ tu locutus omnia, Resistit Magdalena.
Iudex, silescens audij,
Attende nunc, quæ sentio,
Et dico constans vltimo.
Nil est, vt vnquam, concuti,
Miratus ipse, sensibus
Possis, videndo dogmata
Iapponiæ contemnere.
Me velle, dicis optime,
Nam nuda claret veritas,
Falsum profari Bonzios
Cunctis vbique gentibus
Volo quidem Iapponios,
Mentis tenet quos cæcitas,
Omnino spretis fabulis,
Iam malle vera credere.
Exopto priscam pellere
Cordis tetram caliginem
Omnes, & hanc admittere
Lucem Dei nouissimè.
Legem scio Tyrannicam
Cunctis datam Iapponicis,
In qua vetatur sumere
Christi fidem, quam subsequor,

Hoc

Hoc turbulentus imperas
Mihi, statuto termino,
Quod castra tuta deserens,
Inuoluar in periculis.
Hoc perpetrare neutiquam
Adsit. Mori iam deligo.
Tormenta dira excogita,
His eia torque fortior.
Nequibit atrox passio,
Si me tuetur gratia
Diuina, pœnis vincere,
Vt inde secter nenias,
Harum memor, me credito,
Fuisse nollem: at audies,
Tædens vt illas, postea
De corde prorsus subtrahas.

Exprobat Iapponiorum sectam, & Magistros.

Ignara primum soluere
Nihil Magistris, Bonzij,
Nostris, docentes omnia,
Aut explicare, consciunt.
Vobis Xaca, & mendacia,
Sessum rosà quem pingitis,
Rudis reliquit turpia,
Erudijt que friuola.
Vobis Amida somnia
Persuasit, & præstigias,
Hinc mansit obseruantibus
Doctrina summè vilior.
Vobis Fotòque luridus
Illusit, & annuntians
Eas figuras plurimas,
In quas adire creditis.

Quid

Quid multiformem Canone,
Vobis Amidæ Filium,
Tantis ferocem brachijs,
Crudele monstrum deferam.
Quid turpitudo paruuli
Dicendæ Xixi, & aduenit?
Procax patet sic vanitas,
Et mentis alta obscuritas.
Tricas quid hic oraculi
Omnes parati fallere,
Dicam, Malochi tetrici,
Saui Satanæ interpretis?
Omitto nunc & plurima,
Quæ nota vobis permanent:
O vos eorum funditus
Obliuio magna obruat.
Aduerte tu, quam pessimum
Ego scelus committerem,
Verum Deum si linquerem,
Mendacium ipsi præferens.
Si noscis esse nobilem Arguit vanam nobilitatem
Me, derelinque, vt exequar,
Quæ competunt tam propriè
Claris meis natalibus.
Sunt hæc: sequi solummodo;
Non vanitates sæculi;
Non fluxa; non mortalia,
Quæ Mundus ipse præstitit.
Originem fastigio
Non eleuatam dicere;
Laudare nec superbia,
Ars Dæmonis, quam contulit.

Non

Non hos tumores anxios
Honoris atque labilis;
Non appetitus gloriæ,
Vilis caro quos suscitat.
Sed illa, quæ clarescere
Virtute, dant, innoxià,
Aeterna quæri prædocent,
Et abÿci contraria.

Respuit pulchritudinem

Me, inquis, venustam corpore
Natam fuisse: desine
Mentem decoram reddere,
Inquiro dum cælestia.
Hæc namque, quam tu conspicis,
Fumo leui velocior
Discedit, & mortalium
Pompam retundit acriter.
Hanc mille causæ destruunt,
Tristis senectus debilis,
Et morbus inde quilibet,
Mortisque certæ austeritas.
Hæc forma; cuius qualitas
Virtute non adducitur,
Verò Deo sic displicet,
Nobis velut nox fœdior.

Non vult nuptias.

Promittis at connubia,
Lætas & ipse nuptias,
Offers & almum coniugem,
Qui notus adsit omnibus.
Præuenta sum, medullitus,
Et capta mansi ab alterò,
Qui cuncta magnus obtinet,
Et permanet per sæcula.

Ipsum

Ipsum requiro dulciter,
Amore tuius langueo:
Eius quiesco ardoribus,
Cum me tenet complexibus.
Hic Sponsus est pulcherrimus,
Electus atque ex millibus,
Tanto decore præualet;
Vt nesciam illum dicere.
Est castus eius lectulus,
Miris relucet floribus:
Mittens odorem balsami
Est eius & præsentia.
Eius bibentes pocula
Summo fruuntur nectare,
Augentur oblectamina,
Sitis perit terrestrium.
Honoris inde culmina Spernit honores.
Superbus ipse construis,
Vt illa certè consequar,
Votis tuis obtemperans.
Ne me caduco præmio
Errare cures affatim,
Vt secter hoc, quod cogitas,
Nam puluis est, & præterit.
Opes & has, marsupijs, Diuitias paruipendit.
Exopto, quod custodias;
Ne lumen altum cernere
Obstent mihi pecuniæ.
Candentis auri copiam,
Quam gemma stellans circuit,
Tibi reserua pauperi,
Qui diues esse existimas.

X *Me*

Me Sponsus almus lucidis
Ornauit & monilibus,
Quorum decori sydera
Cæli videntur subdita.
Illum frui cælestibus
In arcibus desidero,
Quibus manent perenniter,
Franciscus, & Vincentius.

Petit tormẽta.

Hos me sequi ne differas,
Nimis libenter oppetam;
Ne me sinas superstitem,
Tormenta totam deuorent.

Conijcitur in carcerem

Furit Tyrannus, audiens
Hæc virgo quæ responderat,
Et mentis impos præcipit,
In carcerem deducere.
Tentatur illic crebrius
Virilis & constantia,
Pollet sagax integritas,
Totum ruit negotium.
His dum vacabant singuli
Mali Ministri, lachrymas
Fundebat illa, gratias
Deo rependens dulciter.
Gentes ad illam confluunt,
Miratur vrbs, dum conspicit,
Venire turbas vndique,
Ad hanc videndam, plurimas.
Tunc dicit ipsis feruida
Quidquid saluti conuenit,
Christique monstrans prædicat.
Saluare Crucem noxios.

Psal-

Psalmos, & Hymnos, pectore
Exinde fundit intimo,
Gaudens canit, suspiriis,
Iesum vocat crescentibus.
Mirabili mox extasi
Leuatur in sublimia;
Omnes vident miraculum,
Timent, silent, satellites.
Instante tunc insania Torquetur
Vneme saeua Iudicis:
Tormenta mandat impius
Nostra dari mox Virgini.
In os aquas infundere
Minister omnis inchoat,
Et ventre pleno, protinus
Vterque pes suspenditur:
Vt prona prorsus viscera
Effunderet crudeliter;
Nec posset vnquam conqueri:
Vitamque sic amitteret.
Ferebat illa fortiter
Crudelitatem barbari,
Illesa stans in fluctibus,
Oppressa quamuis faucibus.
Inuentio crebrò opprimit
Huius ferocis gurgitis,
Instat Tyrannus prosequi;
Non cessat hac immanitas.
Conuictus adstat pertinax,
Viuam videndo Virginem,
Furore marcet stridulo;
Nescit quid ipse conferat.

Demum procax arundines
Curans acutas attrahi,
In vngulis affigere,
Et carne mandat, testulis.
Abhorret hunc & murmure,
Adesse, quisquis quærerat,
Magnum rigorem: carnifex
Immotus vrget quadrupes.
Sanguis rubens, vt purpura,
Manat tenellis artubus,
Contenta virgo permanet,
Accitque Sponsum vocibus.
Ipsi cruenta vulnera
Ostendit, & monilia
Vocat fluentem sanguinem,
Ornata gemmis splendidis.
Hæc, dicit, ardens accipe
Vt sint amoris pignora:
Fiam tuæ iam gloriæ
O Sponse dulcis particeps.
Confusus, hæc dum viderat,
Vneme clamat, ludimur,
Nos hæc puella despicit,
Nostrasque leges diruit.
Illam statim recludite
Terram sub altam; desides
Ne vos sinatis, viuere,
Quam nos iubemus perdere.
Illic eam consumite;
Ne nomen eius audiam,
Quæ tot mihi ludibria
Impertit, & molestias.

Ex-

Extincta Summos Principes
Nequibit ipsa frangere,
Dum cæca, vitam prodigens,
Nostram potentiam increpat.
Mandata postquam protulit
Cunctis seuerus imminens,
Turbatus, ipse asperrimo
Vultu recessit lubricus.
Mox conuocantur agmina,
Armis parata gentium,
Vt Virginem circumfluant,
Necemque ad ipsam deferant.
Procedit ergo vestibus
Pullis decora propriјs:
Eius latus præcingitur,
Accurrit omnis ciuitas.
Præconis altus verberat
Iam clamor aures omnium,
Auditur & sententia
In Magdalenam Iudicis.
Hæc, dicit, altis fæmina
Exorta quæ est natalibus
Morti datur miserrima,
Vrbis iubente Principe.
Nam legis eius destitit
Audacter obseruantiâ,
Quâ præcipit Iapponiјs;
Christum sequi non audeânt.
Eius fidem nec spargere,
Huc quam tulerunt aduenæ,
Aut, quam tenemus, carpere
Dictis, eam, vel spernere.

Hæc

Hæc Præco dum pronuntiat,
Serena Virgo clamitat,
Venite vos Iapponij;
Audite quæ nunc alloquor.
Ne fallat hic vos arduus
Mundus, volens demergere:
Vobis Dei vicinitas,
Et crux, fides, sint anchora.
Vestris calorem cordibus
Dei supremi assumite,
Namque ipsa culpis algida,
Tot opprimuntur sordibus.
Scelus quod oblectauerat;
Ne tædeat dimittere:
Quas hostis inde armauerat
Dæmon sagittas rumpite.
En adstat almus mentium
Sanator, & iucunditer
Aegros anhelus allicit,
Vt curet ipse sanguine.
Cadentibus dat dexteram,
Morbos futuros deijcit,
Fugat rigores pestium,
Et claudicantes dirigit.
Expectat & vos obuius,
Donat vigorem segnibus,
Altumque fert in Aethera
Ab inferis quos extrahit.
Dum hæc monens absoluerat,
Rogat preces effundere,
Pro se velint, qui Numinis
Seruant fidem verissimi.

Pale-

Paleſtra iam cum proxima,
Sic fatur & tortoribus,
Torquete cuncta corporis
Vos membra iam crudeliter.
Mentem tamen, quam poſſidet
Chriſtus meus; percellere
Vos non poteſtis: victimam
Sibi hanc reſeruat integram.
Erecta furca funibus
Erat parata, & inſuper
Profunda foſſa tegmine
Aperta ſtabat ligneo.
Illic ſtatim ſuſpenditur,
Ligata duris nexibus:
Os eius ad terram applicant,
Pedesque ſurſum collocant.
Eam truces in concauum
Mittunt locum ſic milites,
Foriſque crura deſinunt,
Et oſtium foſſæ obſtruunt.
Nullum patebat vndique
Foramen, aut ex rimulis;
Vt poſſet vllum ſpiritus
Nec aërem capeſſere.
Curſus breuis iam temporis,
Poſt hæc, celer decurrerat,
Cum illud recludunt oſtium
Cuſtodientes Virginem.
Ipſam ſolutam vinculis
Vident, timore frigido,
Hærent; & ipſi neſciunt,
Quid tunc eis euenerit.

Poſt-

Postquam metus discesserat,
Verbis amicis quæritant,
An malit ipsa pellere.
Legem suam, quam perpeti.
Illos probè redarguit
Persuasionis inscia,
Hortatur & quod abdicent
Graui iugo se Dæmonis:
Sitire, dicit, postea
Illis, nimis, custodibus:
Aquæ ministrant poculum,
Vt hauriat, gutturnio.
Respondet ardens illico,
Hæc me sitis quæ conficit;
Non hac aquà restinguitur,
Viuam requirit alteram.
Quam Christus ipse præparat
Sponsus meus dulcissimam:
Potabor; & tunc amplius
Sitim palatum nesciet.
Adeste vos, & auribus,
Cantabo Christo, & vocibus
Illum meis ab intimo
Fusis vocabo, vt adiuuet.
Extunc sonos hæc, Angeli
Velut supremi dulciter,
Linguà dabat vernaculà,
Eos tenens silentio.
Nam protinus cognouerant;
(Erant tametsi barbari)
Voces eas emittere
Non posse guttur fœmina.

Ma-

Manus ſecundo Virginis,
Ligant & illi, vt antea,
Scrobemque claudunt tetricum,
Vt deſit ipſi anhelitus.
Inſtabat inde canticis,
Cordis ſui tenerrimis,
Ieſu, Mariæ & nomina
Adſunt in ore mellica.
Tollunt ſecundò operculum
Foſſæ, manus tunc Virginis,
Nullis retentas nexibus
Cernunt manère liberas.
Iàm tertio ipſi fortius
Stringunt eas ferociter,
Datiſque portæ peſſulis,
Occluditur profunditas.
Voces ſonoras audiunt,
Quas Magdalena mollibus
Statim dabat concentibus,
Conterriti Satellites.
Foſſam, videntes pangere,
Tunc prorſus illam detegunt,
Eæ manus, quas ſtrinxerant,
En nexus ipſos iecerant.
Illam relinquunt perfidi;
Magis nec eam cernere
Volunt: manet ſuſpendio
Demiſſa cantans dulciter,
Suſpenſa virgo tertium,
Supra decem, conſumpſerat
Diem, ſimulque viderat:
Lætata tot laboribus.

Tormenta constans vicerat,
Illisque fortis manserat :
Quibuspiam & plus vixerat
Eius adauctis præmium.
(Vnum diem nec integrum
Fœliciter percurrerant,
Vitam Deo cum protinus
Ipsi libenter misserant.)
Vllum cibum nec sumpserat,
Toto dierum tempore,
Quo mansit in suspendio;
Nec poculum gustauerat.
Eratque Lunæ circulus
Tunc ille, quem vindemia
Colit quotannis fertilis:
October est hic turgidus.
Moritur. *Cum grandis imber decidit*
Fossamque totam frigidis
Aquis repleuit. Spiritum
Tunc Virgo fudit candidum.
Vt inde cælum scanderet.
Suumque Sponsum cerneret,
Quem toto corde amauerat,
Nimisque concupiuerat.
Vnème corpus imperat
Flammis dari voracibus,
Cinisque factum funditus,
In æquor altum proiici.
Eius voluntas pessima,
Fit. Nunc Deo sit gloria,
Qui amoris ignes applicet,
Vt corda frigus nesciant.
Amen.

MA-

MANIPVLVS NONVS

Schiſmaticorum in Chaldaea cum Eccleſiâ Romanâ coniungit conciliationem.



ODEM ferè tempore, quo Miſſio parabatur Iapponica, tot partis victorijs inclita, Pater Rodericus de Sancto Michaele, Conuentus Dominæ Noſtræ Fontis Sancti de Portillo, & vrbis Vallifoletanæ, in Caſtella veteri, alumnus: vir equidem in omni diſciplinarum genere, ſumma cum laude, & admiratione, verſatus, exterarumque linguarum dono clarus, aliam molitus eſt in vltimas Orientis oras: vt ab illis nationibus, Catholicâ veritate acceptâ, oriretur etiam eis Sol iuſtitiæ, & veritatis: depoſitiſque erroribus ipſæ venerarentur Sedem Apoſtolicam, & vnicam omnium Matrem, ac Magiſtram, Romanam agnoſcerent Eccleſiam.

Egreſſus ergo ab Inſulis Philippinis omnia Aſiæ Regna luſtrauit, prædicans Regnum Dei, & multos ad fidem conuertens, Baptiſmique lauacro purificans. Ab Indiâ enim Orientali Arabiam fœlicem adijt, deinde Perſiam, & Chaldæam: vbi aliquandiu moratus, viginti quinque Schiſmaticos Principes ad legitimi Paſto-

ſtoris, Beati Petri Apoſtoli Succeſſoris, attraxit obedientiam.

Aliqui ex his, Neſtorianis infecti erroribus; tenebant, quod Chriſtus Dominus duas habebat Perſonas, Diuinam vnam, humanam alteram: quas inter ſe ita credebant eſſe ſeparatas, ut realiter diſtinctum iudicarent Verbum à Chriſto: ac etiam affirmarent, quod ad Perſonam humanam ſolum natiuitas, paſſio, & reliquæ hominis actiones; ſpectabant: conſequenterque Virginem Mariam; nequaquam Dei Matrem, ſeu Theotocos, appellari poſſe; niſi ſolum Chriſti. Dicebant inſuper quod hę duæ Perſonæ; licet non erant eſſentialiter vnitæ; erant tamen accidentaliter, ſimul habitantes vnione amoris, & voluntatis. Alij uero ſine diſtinctione, aut cognitione duorum Suppoſitorum (vt volebat Neſtorius) Chriſtum adorabant. Omneſque ſummè imperiti erant, neſcientes propoſita defendere: ſuo autem ſenſu nimis abundantes.

Habebant Sacramenta, exceptis pœnitentiæ, & extremæ vnctionis: cum corruptione tamen legitimæ, ac veræ formæ: ritus etiam ſpeciales, & raros: aliquosque iuxta morem Græcorum, præcipue in Euchariſtià, quam ſumebant ſub utràque ſpecie. Spiritualis adminiſtratio in Patriarchis ſita erat, qui Sacerdotes, & Miniſtros Deo conſecrabant. Superſtitioſis determinatis cæremonijs, animalia ad veſcendum occidebant; & niſi proprijs fuerant extincta manibus, nullo modo ipſa manducabant. Pluribus alijs obnubilati erant ignorantijs, quas ab eorum cordibus auellere, Roderico fuit difficile negotium: ſed perſeuerantià, ac labore, continuiſque argumentationibus, exhortationibus, & concionibus, eos tandem ad Catholicas traduxit veritates.

Ama-

Amabilis deinde ipsius Roderici indoles, morumque optima facilitas, cum ipsorum animis, magnam conglutinauit amicitiàm: quà interueniente, Orator ab eis eligitur: vt ad Romanum Pontificem, totius Ecclesiæ caput, litteras perferret obedientiæ: ipsamque pro illis suæ præstaret Sanctitati. Profectus fuit ergo ab eis, qui ægrè tulerunt eius præsentiæ desiderium: & quà potuit celeritate, percurrit iter per Arabiam Desertam, Mesopotamiam, & Syriam, diris ardentes bellis, quæ ei multorum fuerunt causa laborum: præsertim Babilone Turcarum armatis agminibus obsidione cinctà, vbi occultare obedientiæ litteras plurimum periculi, & afflictionis contulit. Tandem, visitatis Hierosolymitanis locis, in Venetias deueniens, ac deinde Romam, fœl.record. Vrbano VIII. Duce Pastranensi præsente, Catholici Regis, tunc apud ipsum, Interprete, litteras obedientiæ tradidit viginti quinque Principum Caduceator: quorum nomine perfecit suæ legationis munus, ab ipso Summo Pontifice, hilari animo, admissus, paterno que amore tractatus. Versionis litterarum tenor, ad verbum è verbo transcriptus, hic est.

Domino Iesu Mariae FIlio, Vicario eius Domino Papae:

SAlutamus Dominum nostrum, Herum nostrum, Rectorem nostrum, Defensorem nostrum, Firmamentum fideì nostræ, Ducemque Religionis nostræ, Seniorem Præstantissimum, Perfectissimnm, Sapientissimum, & fulcimentum operantium, qui sunt vniuersus fidelium cætus. Seruet illum Deus excelsus in perpetuum,

cate-

cæteros Christi fideles, qui sunt in omnibus Mundi partibus, tam in terrà, quam in mari, ex his, qui verè credunt in Christum. Certiorem te facimus, ò Pater Beatissime, de statu nationis Christianorum Sancti Ioannis Chaldæorum, commorantium in Regione ciuitatis Bassoriensis, & habitantium, Chaban, & Muniectar, & Durach, & Habiza, & Insulas, cunctosque terminos Regionis Bassoræ, & quod ad illam attinet, quod obedientiam Deo excelso præstamus, & Christo Filio Dei obtemperamus, ac sub Religione Domini Papæ nos ipsos recipimus, quoniam apud ipsum veritas est, & ipse est verus: & professio fidei nostra est in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Dei vnius, & in Deum quoque credimus, quod vna ipsius inueniatur Ecclesia, quæ est Congregatio Christianorum fidelium, qui baptizantur, & credunt, & profitentur fidem Christi, & confitentur Dominum Papam Romanum, esse Vicarium Domini Iesu Christi, & Summum Sacerdotem, & caput totius Ecclesiæ super terram, cui obedimus. Nos ergo cætus Christianorum Chaldæorum ex Bassora credimus in Deum, & in Summum Pontificem. Videlicet.

Senior Zaharum, & Senior Sam, & Senior Baćtiar, & Senior Adam, & cæteri, ex Christianitate Chaldæorum - Nagem filius Abdalla - Nagag filius Mansur - Saabar - Haraz - Iaya - Rabia - Darag - Farag - Nasser filius Ioiadæ - Haurad - Ghanem - Achab - Adam Pater Ioia - Iaya filius Sem - Delame filius Ghanem - Aazis - Sciæms - Halal - Abdalla - Azis filius Barag, & Nasser.

In Ætra Mensis Aprilis, anni millesimi, trigesimi, quarti Hegiræ .1. fugæ Mahamedis, gubernante Bassoram Ali Bascia, filio vltimo Asiam: scripsitque scripturam Senior Salomon, filius Ghanem, qui fuit insignis Regis

Per-

Persarum miles. Præmemorati vero sunt Primates harum nationum.

Rodericus, perfunctus legatione, in Hispaniam petere decreuit: vt nouam expeditionem in Catholicæ Ecclesiæ arriperet augmentum. Illi Eminentissimus Cardinalis Bandinus litteras, pro Sanctitate sua, ad Principes Chaldeæ directas dedit: in quibus referebatur, quomodo Summus Pontifex, per manus eius, obedientiæ litteras acceperat, in Sacraque Congregatione de Propaganda Fide referri mandauerat: magno omnium oblectamento, auditâ deuotione eorum ad Apostolicam Sedem: & quid ab ea prouisum erat. Demum ipse fœl. record. Vrbanus VIII. commendatitias litteras in forma Breuis ad Catholicum Regem misit, Roderici gesta recensens, vt eum, sua Regia authoritate, iuuaret, ad maiora pro fide suscipienda certamina. Litterarum copia hæc est.

Regi Catholico Vrbanus Papa VIII:

CHarissime in Christo fili noster salutem &c. Furentes fluctuum procellæ, & in nauigantium perniciem discordes venti eorum, Sacerdotum imperio, quandoque parent, quos sitis animarum, & Spiritus sancti aura vehit per æquora naufragijs famosa. Quare cum ad animas Christo lucrandas frequenter Occeanũ peragrauerit dilectus filius Rodericus à Sancto Michaele, Sacerdos Augustinianus Excalceatus, nunc nota itinera repetere, & fluctuum pericula contemnere, audet. In Insulis Regio Maiestatis tuæ nomine claris, sæpius de Principe tenebrarum Diuinæ lucis armis triumphauit, multosque gentiles à Diabolica Tyrannide eripuit. In

Bassora.

Bassoræ, & Oessæ scopulis verbum Dei, adeo fæliciter disseminauit; vt Regiones illæ ferè videantur non minus Christianæ Religionis fructibus fæcundæ, quam gemmarum fertilitate illustres. Multa præterea in Oriente cœnobia extruxit, vbi seueriori Diui Augustini disciplinà imbuuntur fideles illi Tyrones. Ibi etiam amplissimus gloriæ campus patet Catholicis Regibus; qui Imperij sui fines se verè extendisse non arbitrantur; nisi in illis vera fides simul propagetur. Proinde si Religiosi huius viri pietatem, Regali authoritate, armauerit Maiestas tua; non veremur, quin ab inferna circumfrementium luporum rabie, eximat magnam gregis illius partem. Sanè non est, cur longioribus hortationibus tuum patrocinium illi paremus, qui Religiosæ paupertatis exemplis diues, cælesti Regni thesauros Regionibus importat diuitiarum vbertate tibi famulantibus. Illi igitur, tam eximijs meritis commendato, opem tuam haud defuturam esse confidimus: voluimus tamen hoc Apostolicarum litterarum addere testimonium: vt compertum sit, Ponticium animum ijs officijs obstrictum iri: quibus pios illius conatus inuehit Maiestas tua, cui Paternam nostram benedictionem amantissimè impartimur. Datis Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem. Die 21. Iunij. Anno Domini 1629. Pontif. tertio.

His fauoribus Rodericus exornatus, aduentauit in Hispaniam: vbi dum suam parabat peregrinationem, graui infirmitate correptus, iu Paterna domo oppidi de Orio, in Cantabria, omnium magno dolore, discessit è viuis. Quadrat illi Dystichon, quod appositum est viro cuidam optimo, in Cœmenterio Diui Ioannis Norimberg sepulto.

Ingenium, probitas, candor, prudentia, virtus.
Ars, pietasque, fides, hic tumulata iacent.


Ca-

Catholici Regis speciali schedulà, ipse delectus fuerat Generalis Chronologus Insularum Archipelagi Sancti Lazari: quarum historiam duobus digestam tomis, manuscriptam reliquit, & opusculum aliud, Iapponicam persecutionem præcipuè continens, quod Romæ in Bibliothecà Barberinà asseruatur.



MANIPVLVS DECIMVS

Fundationes ligat Conuentuum Terrae Firmae, & missionem ad Prouinciam de Vrabà, cuiusdamque Patris in Scotiae Regno laborem.



NOBILI Tunxensi Vrbe, in Nouo Regno Granatensi, Occiduo sub Sole, sita, quindecim milliarijs distat vallis quædam ita profunda, vt quoquoversus descensus eius sex pene milliarijs constet: fluminis excepto exitu, quod alluit illam, agrestibus cinctum arboribus; quibus non parum delectatur visus. Planities verò adeo breuis, vt mediocris tantũ Monasterij capax. Attollunt se rupes aliquæ, & videntur minitari ruinam. Temperie gaudet mirabili, integro decursu anni; nunquam que rigorem æstatis, aut hyemis asperitatem vidit, perpetua, & æquali fruens clementia cœli. Parturit semper gramineus ager, & varios effundit blandiendo flores. Similiter arbusta virent; nec vsquam Aquilo eorum decussit honorem: ideoque semper viridibus consistunt folijs. Penè continuo, ibidem, dulcis spirat aura, & affulgente die, auium concentibus, placide vallis resonat.

In hanc ergo, quæ olim fuerat gentilitatis oraculum, aliqui deuoti viri sæculares, vrbis Tunxensis incolæ, vitæ solitariæ amantes (qui in amœnum nemus

de Fauita, prope Hispanorum oppidum de Leiua, primò secesserant) vt aptius Deo vacarent, conuolarunt. Vixit hic aliquandiu Presbyter ille, Pater Didacus de la Puente, famà sanctitatis, toto illo Nouo Regno celebris, qui solitudinis de Tèna, per multos annos, cultor, tandem bonà senectute quieuit, & in Ecclesia Metropolitana Sanctæ Fidei iuxta Sacrarium sepultus iacet. Aegrè tulit Diabolus locum illum à Christianis, & deuotis hospitibus, prorsus occupari: eosque fulgoribus desuper missis, illhinc pellere tentauit. Ipsi uero accurrentes ad opportunum remedium, in medio vallis erexerunt Cappellam humilem Virgini Mariæ Matri Dei, & in illa imaginem eius collocarunt, quam Tunxæ Franciscus Puteus Mediolanensis, egregio opere, in tabula depinxerat: estque ea quæ nunc multis illustrata miraculis, sub inuocatione de Candelaria, colitur: in memoriam illius, quæ Insulas Canarias suà præsentià fortunatas reddit.

Erectà Virgineà ædiculà, & in eius arà appositâ Sacrosanctà Imagine, nō solum inimici cessauit quassatio, sed oraculum antea gentibus, & postea aliquibus earum reliquijs, futura scire cupientibus, destinatum, penitus obmutuit: & illi Anachorètæ in eo vitæ genere quatuor consumpserunt annos: quibus transactis, cum iam duodenario numero essent, alià vià, antiquus vallis possessor maiorem excitauit tempestatem, eàque vrgente, diuisi fuerunt: locus tamen, qui prius iniquis, ac commentitijs responsis steterat, Deiparæ iam Virginis tutelà, Diuinis laudibus mansit stabilior. Cum enim, quadam die, in collatione spirituali essent, licet nullis adstringebantur regulis, sermo uenit de electione unius capitis, cui omnes obedire deberent. Optima quidem cogitatio, si vnusquisque eorum se in-

dignum tali munere iudicaret. Facta ergo contentione, inter illos, quis eorum uideretur esse maior, virtutum totum ædificium corruit; quia non fuerat fundatum super firmam humilitatem: & illa societas; quam Dæmon nō potuerat diuidere fulguribus, vili fuit ambitione disrupta. Quod equidem mirum non uideri debet: nam vt dicit dulcissimus Bernardus Serm. 6. sup. Psal: *Ambitio est subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hyppocrisis, liuoris parens, vitiorum origo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remedijs morbos creans. ex medicinà languorem.*

De curriculo incœptæ vitæ deflexis illius vallis habitatoribus; non tenuis dolor aliquibus ipsorum, qui contentioni non consenserant, obuènit: dum eum locum, sacra Virginis Icone iam conspicuum, esse derelinquendum cogitarent. Hac super re, admittere, in consilium, grauissimum virum, decreuerunt, Patrem Magistrum Matthæum Delgado, Ordinis Augustiniani alumnum, qui in oppido Indorum de Tixo, ad quinque milliaria, & amplius distanti; postea annexo illi, quod Raquira nuncupatur, spiritualis Pastoris exercebat munia. Erat hic Singiliæ, in Bœtica, claris Parentibus ortus, & in diebus iuuentutis suæ, potius Philosophorum more, quam indigentià temporalium rerum compulsus, in medicinæ studia incubuerat: quibus apprimè uersatus, laureàque Doctorali insignitus, pro Doctore Vallesio, in Academià Complutensi, primariæ Cathedræ illius facultatis fuerat substitutus. Interea Matthæus in patria sua vxorem duxerat D. Mariam de Ocòn, ex eaque filium, & filiam susceperat: cum Prothomedicatum in Palatio Philippi Secundi Prudentis Hispaniarum Regis ambiuit: spe vero sua delusus, eum honoris gradum, quamquam dignissimus,

mus, attingere non valuit. Intellexit tunc (vt ait Magnus Augustinus Parens super Psalm.21.) Medicum esse Deum, & tribulationem illam, medicamentum esse ad salutem: itaque Singiliam pergens, vxorem, & filiam ad confugium Religiosæ vitæ in cœnobio Monialium Augustiniensium induxit: relictisque filio caducis opibus, ipse in Conuentu Hispalensi Sancti Augustini, extra portam Carmoniensem, ad Religionis Eremitanæ tutissimum portum appulit, emissâque post annum professione, se ad Conuentum Sanctæ Mariæ de Regula, prope littus Occeani fundatum, contulit; (antiquissimum Augustiniani Ordinis domicilium, vt M. Petrus del Campo in eius Historia, & P. Nicolaus de Sancta Maria in Relatione originis, & antiquitatis illius sanctissimæ Imaginis, attestantur) vbi pœnitentiæ, & orationi deditus, Mundi calcauit vanitates. Illinc in Nouum Orbem nauigauit, & deinde ad Nouum Regnum Granatense, in quo eius virtutes lucère maximè cœperunt: quapropter vt ciuium honores, & concursus fugeret, ad dictum oppidum de Tixo se recèperat, quod tunc ab Augustinianis spirituali gubernio gerebatur.

Enuntiato ergo ei ab Anachorètis consodalium dissidio, consilioque petito: enixè ipsi rogauerunt, quod sacellum illud Virgini Mariæ sacrum, miraculosamque eiusdem imaginem, cum fundo, quem sibi quidam ex ipsis à ciue quodam Tunxensi dono acceperat, vellet ipse Pater, in possessionem Augustiniani Ordinis venire, vt in Recollectorum erigeretur cœnobium. Audiuit hæc Matthæus. & cum famà nuntiatum esset, in Hispania, Augustinianam Reformationem exortam esse, hilari, ac deuoto animo, obseruantiæ strictiori inhianti propositum Anachoretarum placuit: & feruidus

dus incœpit de Conuentus fundatione agere. Exercebat, eo tempore, Prouincialitiam dignitatem, in Prouincia Noui Regni, Magister Vincentius *M*allol, Valentinus, Cœnobij Alchodiensis alumnus, eximiæ Religionis vir, qui postea Recollectorum institutum fuit secutus: eique Matthæus per litteras omnia, quæ acciderant, indicauit. Arrisit etiam Vincentij voluntati Anachoretarum placitum: & vocato Matthæo cum illis ad vrbem Sanctæ Fidei, Illustrissimo Domino Bartholomæo Lupo Guerrero, eiusdem vrbis Archiepiscopo, rem omnem proposuit: factaque, coram eo, sacri sacelli, deuotissimæ Imaginis, ac prædij donatione, & in Capitulo priuato Prouinciæ, Reformatione approbatà, Matthæus induit se asperrimo habitu, assumptis que Sandalijs, renouatæ vitæ dedit initium: ac cum titulo Vicarij Pioris ad illam vallem rediens, facultate obtentà, capellam in Cœnobium erexit, sub titulo Virginis Mariæ de Candelaria, ab eoque die vsque nunc, locus ille, Candelariæ nomine, fœliciter decoratur. Contigère hæc anno 1602.

Ex illis viris, qui ibi incoluerant, se Augustiniano subdidère iugo, Alfonsus de Paredes, postea de Cruce dictus, in *E*xtremis Dorij natus, & in Conuentu Sanctæ Fidei habitum induit: annoque 1604. in manibus Patris Gasparis de Parraga, obseruantiæ *R*egularis zelo illustris, professionem fecit. Alexander etiam de Sancto Matthæo, *F*lander: aliusque Ioannes de Iesu, qui fuit Conuersus: cui Dominus Deus, media Imagine Genitricis eius de Candelaria, visum, quem prorsus amisserat, rèstituit.

Structo iam humili Monasterio, & Nouitiatui apto, seueriorem, austerioremque vitam, quam Matthæus inchoauerat, non pauci amplexati fuere: & illius Eremitorij

mitorij obseruantia, celebritate famæ; non solum fuit illi Nouo Regno nota, sed omnibus, quæ latissima continet America: & vndique confluebant populi, vt eos viderent veros Augustinianos Eremitas, quibus, velut sanctis, exhibebant reuerentiam. Huic Domui, eiusque Habitatoribus merito illud Barclaji, in Argentunc adaptari poterat.

Non isthic aurata domus, luxuque fluentes
Sunt epulæ, spondàue sopor pretiosus eburnà,
Aut in carbaseo Tirius velamine murex;
Non gemmà vibrante nitor; non persona cantu
Limina; non prono famulantum examina collo:
Atque auidas quidquid trahit in certamina gentes:
Sed nemora, & nudæ rupes, neglectaque squallent
Confraga: sunt epulæ viles, iussaque quietis
Hora breuis: duro velantur corpora texto,
Et labor in pretio, & vitam mors longa fatigat;
At neque crudeles diræ, vilique flagello
Sæuit cura ferox; falso non abditus ore,
Ipse sua insanus furit in præcordia liuor;
Alma quies, paruisque habitat concordia testis,
Et semper niueo veri de pectore risus
Ipsa suæ meminit stirpis, seseque Deoque
Mens fruitur fœlix, & nouit in astra reuerti.

Aluit vno, eodemque tempore, præter Venerabilem Patrem Matthæum, & Alfonsum de Cruce, de quibus infra aliquid dicemus, insignes virtute viros, Patrem Vincentium Mallol, qui verbo, & exemplo peccatores multos ad pœnitentiam reduxit: Patrem Petrum de Sancto Cypriano, quem rigorosa sociauit obseruantiæ disciplina: Patrem Ioannem de Sancto Augustino, primum eiusdem domus alumnum, oratione, & contemplatione clarissimum, qui è terra, est natus, à mul-

à multis fuit aliquando visus: Patrem Antonium Muños ob vitæ candorem ab omnibus in magna existimatione habitum: Fratrem Dominicum de Betanzos, laicum, pœnitentià, & humilitate illustrem: Fratrem Nicolaum de Orti, laicum, quem deuotio Deiparæ, & aliæ virtutes exornarunt. Fratrem Matthæum de Sancta Maria, laicum etiam, & Nouitium, qui relictis indicijs sanctitatis, ante solemnem professionem, migrauit è vita.

Sic noui conuentus militia se habebat Religiosa, & quotidie spiritualibus florebat incrementis, cum Pater Ildefonsus de Cruce, continuo Diuinarum rerum meditationi addictus, in ipsa sibi dici sensit, quod Chartaginem adiret, ibique in montis cuiusdam vertice, *la Popa de la Galera* nuncupato, cœnobium, aliud strueret, Sanctissimæ Cruci sacrum. Loquelam illam cum Venerabili Matthæo, & Vincentio Mallol examinauit: eaque approbata, assignatis eiusdem voti socijs, discessit à Candelaria, illud Monasterium fundaturus. Postquam vero ad Chartaginem appulit, aduentus detectà causà, ad Episcopumque, ac Gubernatorem delatà; non eis displicuit Reformatorum animus; licet Monasterij struendi in summitate montis illius noluerunt concedere facultatem, quia visionibus infestabatur horribilibus. Instauit humiliter Alfonsus, se, vt eum locum obtineret, in illam vrbem deuenisse: ideoque huiusmodi beneplacitum sibi eos assentiri, rogauit. Obtento tandem summis precibus permissu, & loci à Decano Cathedralis Ecclesiæ (cuius erat) donatione factà, Alfonsus inferre pedem in possessionem curauit, vt Conuentus fundamenta iaceret.

Ascensus erat valde difficilis: nam supinum, & accliue solum densissima occupabat sylua, hinc, indeque pro-

profundis ſcatebat præcipitijs. Accurrit ergo ad ciuium Chartaginenſium pietatem, & ſequenti luce, Aethiopum conuocatum agmen cædere ſyluam, tramitemque per curuos anfractus aperire, cœpit, quouſque tenuit ſupercilium montis, duobus milliarijs ab vrbe diſſitum. Ibi Alfonſus tugurium humillimum ex ramis arborum confecit, & cum ſocjs Eremiticam, & Reformatam fuit proſecutus vitam, ieiunijs, ac pœnitentijs deditus. Tunc *Diabolus* ad iracundiam maiorem prouocatus, quia cacumen illud, multis ab illinc annis, poſſederat, omnem habuit in Alfonſi expulſione diligentiam: varios namque ſtrepitus edens, fulgura que, tonitrua, ac procellas commouens, totum faciebat montem contremiſcere: & culicibus innumeris (quibus abundat Regio illa) totum etiam obſcurabat cœlum: ac velut ſimiorum caudatorum vocibus, locum maximè territabat. Deinde cum Alfonſus de monte quadam die, deſcendiſſet, ad infeſtamque, ſub veſperum, rediret ſolitudinem, in medio viæ, & cliui, tranſuerſus apparuit ei, aſcenſum obſtans, ingentis magnitudinis minax, & horrendus coluber, quem ſigno Crucis, & Catholicis fugauit exorciſmis.

His licet erat aduerſitatibus concuſſus, ieiunio, & oratione perſtitit: quatuorque piorum fidelium expenſis, (quorum nomina in beneficij memoriam hic apponenda duximus: Dux, ſcilicet, Franciſcus Zeballos, Andreas del Peſo, Petrus Muños, aliuſque, Fabritius appellatus) acutum iugum illud, Monaſterij incapax, explanari, incommodamque reduci formam, ipſemet Alfonſus curauit: & cum vnius haſtæ profunditate, montis caput iam eſſet deturbatum: en atra ſpelunca, amphoris illius Regionis, cochleis marinis, ſtragulis goſſipinis, & ſedilibus referta occurrit, Dœ-

monis certum habitaculum, Peruano idiomàte Guàca dictum, in quo ipsi cultum præbèri, minimè dubium erat. Statim casus emanauit in publicum: totaque commota ciuitas, ac admiratione affecta, ad videndum Dœmonis receptaculum confluxit, & incessanter laudauit Dei prouidentiam, locum illum sanctificare volentis. Episcopus etiam, vrbis Gubernatore, ac turba optimatum septus, illud ascendens cacumen, Ritu Ecclesiastico, montem totum benedixit: erectoque salutifero Crucis signo, aëreis Potestatibus terribili, ex valde procerà facto arbore, Diaboli dissipauit oblationes.

Posthæc, ædificatur Ecclesia, & Monasterium: in eaque collocatur Imago Deiparæ Virginis, quam à fœminà pià quadam Alfonsus dono accepit: estque illa, quæ nunc, tot miraculis celeberrima, sub inuocatione de la Popa colitur.

Peractis deinde Nouitiatui cellulis, ad seuèram eam disciplinam aliqui à sæculo fugerunt, & de die, in diē, deuotio fidelium augebatur. Tunc à Candelarià Frater Ioannes de Sancto Augustino, illius primogeniturà fœlix, in nouam Charthaginem, Fratre altero associatus, venit: vt sacros ordines susciperet. Sede vero ob mortem Episcopi vacante, vrbem de Panamà, oris pacifici maris sitam, adire constituit: vbi Illustrissimus Dominus Augustinus de Caruaxal, quondam Eremitici Ordinis Assistens Generalis, ac Prior Vallisoletanus, infulà iam decoratus, eam regebat Ecclesiam. Appulsis igitur illuc Reformatis duobus, & Palatio Episcopali exceptis, ipsos benignus Præsul liberalissima hospitalitate tractauit: & postquam sacris imbuit, sic eorum modestià, probis moribus, & obseruantià captus; vt illos nolens à sua Ecclesia discedere, Mona-

sterium

ſterium erigere decreuerit: quod etiam Senatus, Populuſque, ſumma ope, niſus eſt. Monetur illicò per litteras Prior Prouincialis Noui Regni, qui tunc electus fuerat, Magiſter Petrus Leonardus de Argenſolà Cæſarauguſtanus, & ad eam fundationem, anteceſſorem ſuum, Patrem Vincentium Mallol, iam renouatum inſtitutum adeptum, ipſe miſſit: & ab Epiſcopo decem, & ſeptem millibus aureis, cuiuſdam pij operis, aſſignatis, primus lapis, vno ab vrbe, poſitus, & Sanctiſſimi Ioſeph patrocinio dicatus eſt. Poſtmodum verò ædificij ruinâ, intra vrbem, conuentum transferre compulſa Recollectio, aliquorum magnam ſenſit repugnantiam: ſed contremente toto vrbis eiuſdem territorio, per tres continuos dies, primi perſecutoris domus ruit: eoque intra ipſam oppreſſo, dextra manus, quâ chirographum expulſionis Fratrum ſignauerat, adhibitis multis diligentijs; non potuit inueniri. Quare reliqui aduerſarij, timore perculſi, ab expulſione deflexerunt: itaque ſedato terremotu, Conuentus, vſque in hodiernum diem, propius vrbem manſit, & miraculosà Diui Nicolai de Tolentino ditatur imagine.

Interea, Charthagine, Sacroſanctæ, & Catholicæ Fidei, Religioniſque veræ venerandum Inquiſitionis Tribunal in eiuſdem deſertores celebrauit actum: & inter alios, iudiciali notà, & meritâ ignominiâ vnum inſigniuit, qui proprio ore confeſſus fuerat, ſe cultum Dœmoni cuidam, aliorum Principi, Buſilaco nomine, in ſupercilio montis illius, *la Popa de la Galera* appellato, præſtitiſſe: eaſque res, in ſpeluncà repertas, ſemet miſerum obtuliſſe illi, in cuius iam diu familiaritatem inciderat: quà interueniente, ipſum Buſilacum ſibi annuntiaſſe Patrum illorum aduentum; quos in-

derisionem Fraterculos vocabat) vt eum illo loco pellerent: & sæpius sibi promisisse omnem curam, in ipsorum proposito frustrando, consumpturum: quod diligenter, quamquam consequi non potuit, adimpleuit: nam ipsi postea reuelauit, horribiles illas Simiorum voces, & aliorum animalium vlulatus, culicumque figuras, se cum suis simulasse sequacibus: ac etiam serpentis formam, in qua Alfonso, in dorso montis apparuit: hocque ignarus homo, sui facti pœnitens, attestatum reliquit, & in archiuijs Inquisitionis Charthaginensis asseruatur: quod ipsa die, publico omnium concursu, lectum, alta voce, illi Regioni constat. Addidit quoque vltimo, quod, die quadam, ipsi tristissima facie se Busilacum obtulit, eique dixit: suam iam ipsummet operam perdidisse: nam Fraterculi illi, in montis Ecclesia, Missæ sacrificium peregerant: & associati vrbis ciuibus, illuc, Imaginem Mariæ deferebant: ideoque illum velle locum deserere, & in promontorium de la Canoa, duodecim ab illinc milliarijs, adire: minasque in Alfonsum, quem timebat, & suos, euanuisse iactantem.

Cœnobiorum illorum fuit hoc principium, & optimo virtutum pollebant odore: cum nostræ Congregationi Excalceatorum Hispaniæ se ipsa per Procuratorem subdiderunt. Quam subiectionem, Apostolica Authoritate, fœl. record. Vrbanus Papa VIII. anno millesimo, sexcentesimo, vigesimo, nono, confirmauit.

Huius rei perlato nuncio, Venerabilis Pater Matthæus effundens lachrymarum vim, Excalceatos Hispaniæ inire trium Conuentuum possessionem vidit. Postea, autem, anno millesimo, sexcentesimo, trigesimo, primo: cum in solitudine Candelariæ, triginta annos sanctè, & laudabiliter, consumpsisset, die vigesima

prima

primà Mensis Octobris, vndecim millium Virginum sacrà, peracto Sacrosancto Missæ sacrificio, se morti proximum esse dixit, & Sacramento Extremæ Vnctionis petito, & accepto, iuxta horologij Itali computationem, horà tertià, coram positis Fratribus, quos ad Augustinianæ Regulæ obseruantiam exhortatus, dulciter cum Virgine Maria loquens, obdormiuit in Domino, cum centum, & quinque esset annorum, & maximam habuisset famam sanctitatis.

Multa equidem de Venerabili Patre Matthæo dicere possemus, si istius tractatus esset nostræ Congregationis Chronologiam texere: fuit enim humilitatis iubar, pœnitentiæ speculum, paupertatis mirificum exemplar, ac multis diues virtutibus. Aliquibus sua patefecit interiora, vt ad meliorem vitam reduceret: Defunctorumque animæ aliquando ipsius se commendarunt orationibus. Exuuiæ eius hoc decorantur elogio.

HIC IACET VENERANDVS PATER FRATER MATTHAEVS DELGADO NOBILIS SINGILIANVS:EXCALCEATORVM S. P.N. AVGVSTINI ALVMNVS, COENOBIOQVE IN HOC DEIPARAE VIRGINIS DE CANDELARIA PRIMVS EREMITICAE VITAE RESTITVTOR: MVLTORVM POSTEA PATER MONACHORVM, QVI PER TRIGINTA ANNOS ASPERAM VITAM DVXIT, LONGAEVA QVE AETATE, GLORIOSO FINE QVIEVIT. XII.KAL.NOV.ANNO M.D.C.XXXI AETATIS SVAE CV.

HIC MANET OCCVLTVS, MVNDI CVI NOLLE TVMVLTVS:
GRATVM, DVM POPVLOS FVGERAT, VT SCORVLOS.

Pater etiam Ildefonsus de Cruce illorum Conuentuum aggregationem vidit: dum ab anno millesimo, sex-

ſexcentеſimo ; vigeſimo, ſexto, in conuerſione gentiũ Prouinciæ de Vrabà diſtractus eſſet. Iacet ipſa ad Occeani extremas oras, inter Charthaginem, & Portumbellum, tam fructuum, quam metallorum ferax. Sex habet alias Prouincias conuicinas, magnà gaudentes vbertate, dumoſis circumſeptas montibus, ac etiam latis florentes agris, aptiſſimis humano vſui. Belligeros producit incolas, qui diuerſis vtuntur ritibus; & non omnes hominum manducant carnes; nec Dœmoni ſacrificia offerunt. Nulla apud eos notitia de pœna, aut gloria æterna: hoc tamen iudicant ſolummodo. quod, poſt mortem, in quemdam altum montem pergunt, vt ibi aliquomodo lætentur. Eorum Sacerdotio fœminæ funguntur, quæ ſolummodo nubunt nobilioribus: hi que duas, vel tres vxores habere conſueſcunt: inter quas primo habita tenet primatum Matrimonij, filijque eius ſuccedunt iure hæreditario. Ars præcipua, qua inſtruuntur omnes, eſt ſagittis collimare; vt ad prælium induſtrij inueniantur: itaque penè ab ineunte ætate, paruulum arcum, pharetram, & ſagittas, iuxta teneræ ætatis vires, & potentiam, præbent pueris: vt muſcas, intendendo, perimant: ſicque tam edocti in ſagittando prodeunt, vt mirum ſit eorum in hac arte cernere peritiam. Sacerdotes ergo augurijs, ſortilegijſque communiter vtuntur, ac ſermonibus cum Dœmone frequentibus, à quo ſemper oracula recipiunt. Nullum cadauer humo condunt, ſed mortuum quemcumque tradunt igni: cineresque Magnutum tantummodo reſeruant, quos, vertente anno, factis generalibus comitijs, quadam potione, ex Indico tritico confecta, immiſcent: deindeque miſeri bibunt inhumaniter: certo tenentes, quod ſic amori eorum ſatisfaciunt: & ad augendas vires, animumque

que

que maxime prodesse. Perpetuo bellorum inuoluuntur æstu: & vt non impediatur mercatura, in cuiusque Prouinciæ finibus, vnam habent commercijs deputatam ædem, in quam cuiusuis anno determinato tempore, ex vna Prouincia Mercatores veniunt, ibique reponunt merces, communi illarum assignato pretio, & eadem via reuertuntur. Postea, similiter statuto tempore, Mercatores ex finitima Prouincia accedunt, ac acceptis mercibus, apposito que pretio, magna fidelitate, recedunt: vt iterum aduenient, qui primo mercimonia attulerant, & tollant, quod suum est. Hoc modo vitantes litigia, odiosæ inuicem nationes, suum absentes quæstum, commercium, & negotium gerunt.

Huius ergo miserrimæ gentis conditionem Alfonsus condolens, suorum obtenta venia Superiorum, nullo hominum præsidio innixus, intrauit solus in has indomitas Prouincias, & illis prædicauit Euangelium: in quo continuo munere, duobus elapsis annis, vnum tantum Dynastam magnæ authoritatis conuertit ad fidem, & paruulos aliquos, numero sexaginta, plus minus ve, sacro expiauit fonte. Non concidit animo, vnius hac solum conuersione: sed orationibus instans, illarum animarum zelo, incœptam prædicationem persecutus est. Per totam Prouinciam iam diuulgata fama, Patrem Alfonsum ibi adesse, ad eum conuenerunt multi, vt, aut illa ditione pellerent, vel ipsum de medio, tollerent: duorum vero Magnatum defensus patrocinio, viuus, & incolumis mansit in Prouincia, docens pueros Christianæ rudimenta fidei: & sic ferocis gentis illius paulatim sibi conciliauit voluntatem, hacque perseuerantia, ad Dei cognitionem Indorum octo millia attraxit. Nec miraculum tali conuersioni defuit.

Quod statim referendo dabimus, postquam aliqua

ad

ad hanc Missionem spectantia dixerimus. Curauit ergo primo Alfonsus habitatores illarum Prouinciarum ad mutuam attrahere concordiam: vt facilius, & suauius posset ipsi tradere Euangelium: sed, omnibus alijs nimis repugnātibus, Prouinciæ de Vraba pacē cū Euāgelio accipere, fuit gratū. Vt sic Alfōsus huiusmodi pacē cū ea Prouincia stabiliret, ex ipsa Regulum quemdam adduxit in Chartaginem, Magnum Chartaia nominatum, qui ab istius Vrbis Gubernatore, plausu magno susceptus, & amore: Catholici Regis nomine tractatus honorificè, ac in illius palatio fuit conductus, plurimisque donis exornatus, quæ, in propria remeans, postea secum detulit. Ibi, cum Alfonsus, & Regulus redirent, Crucis signum est erectum salutiferum: in portu quodam (cui nomen de Sancta Anna, Alfonsus indidit.) Deinde in Carthaiæ eiusdem mansionem, quæ Damachiel dicitur, omnes conuenerunt: vbi ipse Regulus gentis suæ cœtum aduocauit: à quibus habitæ, ad multos dies durarunt, conferentiæ, circa pacem, quam Chartagine subscripserat: in cuius adimplendis statutis, immemores promissi, dubitabant: an lex admitti deberetur Euangelica? itaque in eo, quod commercium ipse cum Hispanis ageret, maiori non displicuit gentilismi parti, à multis in hoc fautæ nobilioribus: ipsa vero Euangelium nolebat acceptare, iniectò impendentium malorum à Dœmone timore, cui Alfonsus firmis rationibus medèri procurabat: frustra tamen discutere, ab eorum obscuris cordibus, volebat huiusmodi timorem, æternis temporalia præferentibus. Omnis demum superuacanea erat diligentia: itaque ipse Alfonsus ad tutissimum remedium orationis appellauit: cum etiam in comitijs ipsis eum vita priuare constitutum esset: quod bis executioni man-
dare

dare curauerunt; id tamen Deus, propter eorum salutem, noluit ita fieri, sed vt eam ipsi Regulo donaret, huiusmodi suæ benignitatis effectu demonstrauit.

Cum enim Dynasta idem Chartaia, omnibus potentior alijs, instinctu Dœmonis, nouos iam Christianos agitaret: capite sanxit, Patrem Alfonsum à sua discedere prouincia: vt sic facilius, Christi fidem radicitus euelleret. Instabat edictum Reguli: cum rerum omnium effector Deus illum graui morbo afflixit: & quadam nocte intempesta, dum doloribus ipse cruciaretur, vnus, habitu, & forma Patris Alfonsi, cubiculum intrauit, per fenestram, eumque increpans seuère, fuit ipsi minitatus mortem; nisi relegationis Dei Ministrorum edictum abrogabat, & sententiam: eique suam oppignorauit fidem, quod si Christum reciperet, & se baptizari vellet, è morbo confestim emersurum: ac his dictis euanuit. Audiuit, & percepit Regulus: summo que manè, Patrem Alfonsum inquisitum missit: (erat enim ab eo loco, octo milliarijs, absens) cumque ad ipsum venisset, de eo beneuolus conqueritur, quia de nocte per suæ domus intrauerat fenestras. Deinde sacrum baptisma petijt, quo accepto, breuiter conualuit: suoque exemplo, alios ad salutem suarum animarum induxit assequendam.

Progressus istos Apostolica Sedes benignis accipiens auribus, dictum Patrem Alfonsum, cum socijs, sua benedictione, destinauit: vt inchoatam perageret missionem: & ad hanc spectans Decretum, ac litteras patentes, dedit, ac ad tale obeundum munus, quasdam ipsi concessit facultates.

Decretum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide habita coram Sanctissimo.

REferenti Reuerendissimo Domino Corsio conuersionem octo milliũ Indorum, in Prouincia Vrabà, prope Chartagenam Indiarum Occidentalium, factam à Fratre Alfonso de Cruce Ordinis Discalceatorum Sancti Augustini, mediante miraculosa eiusdem Fratris Alfonsi viuentis, & absentis, apparitione, quæ illius Prouinciæ Regi magno, Chartaia nuncupato, accidit: & simul petitiones Procuratoris Generalis eiusdem Ordinis. Sacra Congregatio decreuit, vt infra. Primo decreuit litteras patentes missionis dicto Fratri Alfonso cum duodecim socijs, illi per Diffinitorium eius Prouinciæ, vel per Vicarium Generalem, vel Commissarium, pro tempore, domorum Regularium eiusdem Ordinis, in præfatis Indijs Occidentalibus existentium, assignandis, ad prædictam Prouinciam Vrabà, & ad conuicinas, videlicet Dariel, Maritudes, Cathachinues, Caribana, & Taironas. Secundo, in defectu dicti Patris Alfonsi, censuit, præfecturam huius missionis concedendam esse Religioso eiusdem Ordinis, quem prædictum Diffinitorium, vel Vicarius, aut Commissarius præfati, iudicauerint idoneum: donec Sacra Congregatio de morte, vel defectu, dicti Fratris Alfonsi admonita aliud decreuerit.

Gaspar Card. Borgia - Franciscus Lingolus Secretarius - Locus † Sigilli.

Litterae Patentes Sedis Apostolicae ad Patrem Alfonsum de Cruce, super missione ad Prouincias de Vrabà.

SAnctissimus in Christo Pater, & Dominus noster Dominus Vrbanus Diuina prouidentia, Papa VIII. omnium hominum saluti pro suo Apostolico munere, prouidère cupiens, te Fratrem Alfonsum de Cruce, Ordinis Eremitarum Reformatorum Sancti Augustini, vnà cum duodecim socijs eiusdem Ordinis, tibi per Diffinitorium Prouinciæ tuæ, vel per Vicarium Generalem Congregationis Hispaniarum, & Indiarum, aut Commissarium, pro tempore, domorum Regularium eiusdem Ordinis, præfatis Indijs Occidentalibus existentium, assignandis: ad Prouinciam Vrabà propè Charthaginem, & ad conuicinas, videlicet, Dariel, Maritudes, Cathachinues, Caribana, & Taironas, Indiarum Occidentalium mittere decreuit, & mitti; vt ibi ea, cum facultatibus vobis, per alias litteras, concedendis, Euangelium Domini nostri Iesu Christi annuntietis, & gentes illas doceatis seruare quæcunque Sancta Mater Ecclesia Apostolica Romana præcipit: & præsertim, vt iudicium vniuersale futurum eisdem contestemini. Vos itaque rei magnitudinem, & Apostolici muneris, vobis commissi, grauitatem seriò perpendentes, in primis cauete; ne ad infidelium ritus quoslibet, quouis prætextu, vel causa, accedatis. Deinde omnem adhibète curam, vt ministerium vestrum, dignè, & fideliter, etiam cum sanguinis effusione, ac morte ipsa, si opus fuerit, impleatis, vt immarcescibilem coronam à Patre luminum recipere mereamini.

Datum Romæ ex Sacra Congregatione de Propaganda Fide. Die septima Augusti. 1629. Pontificatus eiusdem Sanctissimi Domini Nostri. Anno VI.

Cardinalis Borgia. Franciscus Lingolus Secretarius

Locus † Sigilli.

Facultates concessæ a Sanctissimo D. N. D. Vrbano Papa VIII: Fratri Alfonso de Cruce Presbytero Professo Ordinis Eremitarum Discalceatorum Sancti Augustini Missionario ad Prouincias Vraba, Daniel, Maritudes, Cathachinues, Caribana, & Taironas, in Indijs Occidentalibus.

EXercendi omnes actus Parochiales, vbi non sunt Episcopi, vel Parochi: & vbi sunt, de eorum licentia, vel si ita distant, vt commodè conueniri non possint.

Absoluendi in foro conscientiæ à casibus reseruatis per quascumque constitutiones Apostolicas, & in specie per Bullam Cœnæ Domini, iniunctis iniungendis.

Absoluendi ab hæresi, & schismate Indos, etiam relapsos.

Dispensandi in tertio, & quarto, simplici, & mixto consanguinitatis, vel affinitatis, in contractis Matrimonijs, vbi non sunt Episcopi, similes facultates habentes, & cum causa.

Declarandi prolem legitimam in prædictis Matrimonijs, de præterito contractis, susceptam.

Di-

ensandi super quacumque irregularitate, ex delicto occulto, præterquam ex homicidio voluntario contractà, & relaxandi suspensiones quascumque à Religiosis, sæcularibus, vel Regularibus, incursas, præterquam ab homine impositas, iniunctis iniungendis: & vbi non sunt Episcopi, vel Vicarij habentes similes facultates, vel si commodè adiri non possunt.

Commutandi vota simplicia, exceptis votis castitatis & Religionis: vbi non sunt Episcopi, vel eorum Vicarij, similes facultates habentes, vel ita distant, vt commodè adiri non possint, vel de eorum licentià.

Relaxandi iuramenta, iustas ob causas, vbi non sunt Episcopi, vel eorum Vicarij, habentes similes facultates, vel ita distant, vt commode adiri non possint, vel de eorum licentia.

Administrandi Sacramenta, sine cæremonijs solitis; non tamen necessarijs, exceptis Confirmatione, atque Ordine.

Vtendi Oleis, & Chrismate veteribus; quando noua de facili haberi non poterunt.

Benedicendi paramenta, distante Episcopo, vltra duas dietas.

Benedicendi capellas, & cætera, quæ ad Diuinum cultum spectant; vbi non adhibetur sacra vnctio.

Celebrandi Missas, quocumque loco decenti, etiam sub diu, sub terra, tribus horis ante lucem, & hyeme, vna hora post meridiem, bis in die, vbi necessitas postulauerit, iuxta sacros canones, in altari portatili, sine obligatione inquirendi, an sit fractum, vel contineat sacras reliquias; necne, quod de alijs etiam altaribus intelligatur: coram hæreticis, infidelibus, atque excommunicatis, dummodo Minister non sit hæreticus, & in casu necessitatis.

Re-

Reponendi habitum Regularem, & pecuniæ vsum habendi, vbi necessitas requisiuerit.
Recitandi Rosarium Beatæ Mariæ Virginis, loco Diuini officij, quando aut Breuiarium non habere, vel illo vti sine vitæ periculo non poterit.
Concedendi Indulgentias quadraginta dierum, in festis de præcepto, & primæ classis: & plenariam in diebus Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi, & Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, & semel facientibus confessionem generalem suorum peccatorum, ac semper in mortis articulo.
Vtendi suprascriptis facultatibus in dictis Prouincijs, easque communicandi, in toto, vel in parte, duodecim alijs Sacerdotibus eiusdem Ordinis, ei assignandis per Diffinitorium eius Prouinciæ.
Feria v. Die vj. Septemb. anno 1629.
In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, atque vniuersalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Quirinali. Sanctiss. D. N. D. Vrbanus, Diuina prouidentia, Papa VIII. concessit supradictas facultates præfato Fratri Alfonso de Cruce, ad septenninm proximum. Ioannes Garzia Episcop. Tusculanus Cardinalis Millinus. Ios. Antonius Thomasius Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis. Locus ✠ Sigilli.
Facultatibus his Alphonsus confirmatus, quà potuit maiori alacritate, iniunctum sibi administrauit munus: donec appropinquante hora, in qua fructus sui laboris erat percepturus, cum Neophytum quemdam diuitem corrigi, ac puniri fecisset, ob secundum, quod inierat, Matrimonium, adhuc vxore viuente, illius quæsiuit odium. Nolebat Pater, & Medicus, filium perire infirmum, ideoque eum curari, & sanari satagebat: (vt enim ait Magnus Parens Augustinus epist. ad Bo-

Bonif. de correctione Donatistarum.) *Molestus est Medicus furenti phrenetico, & Pater indisciplinato filio, ille ligando, iste cædendo: Si autem istos negligant, & perire permittant, ista potius falsa mansuetudo crudelis est.*) Filius vero Patris abhorrens remedia, conuocat is consanguineis, alijsque propinquis, Ferià quartà cinerum, postquam Alfonsus Christiferum sacrificium celebrauerat, & cæremoniæ Ecclesiasticæ dum cineris imponendi dabat operam, in portu S. Annæ, ad os riui de Damachiel, Satellitibus suis ipsum in templo aggreditur, lanceàque, ac duabus venenatis sagittis, vità priuauit temporali, vt æternam haberet in cœlis.

Corpus eius, igne Ecclesiæ applicato, consumptum est: excepto capite, quod quidam Patris amore, abstulit, Fratribusque nostris postea tradidit: & in eius proprio Sanctæ Crucis Chartaginensi Conuentu conditum fuit. Refulsit Alphonsus pœnitentià, humilitate, Apostolicà simplicitate, paupertate, alijsque virtutibus, quæ Religiosos decent; & nunquam carnes gustauit, toto sui Monachatus tempore.

Consortes præmij, ac laboris habuit, Patrem Bartholomæum ab Angelis eiusdem Conuentus alumnum in Regnoque Algarbiorum natum, & Patrem Michaelem à Sancta Magdalena ex oppido de Benauarre, Prouinciæ Aragoniæ filium. Bartholomæus enim, cum Patri Alfonso adesset, seu potius ex oppido venisset de Morrongo, decem, & octo, ab illinc, dissito milliarijs, vbi prædicationis officium exercebat. Quatuor confixus venenatis sagittis, ex quibus vna cor, aliaque faciem, vtraqe parte, traiecerunt, septem dies viuus remansit, adhuc sine cibo, & potu: quibus decursis, prope littus maris, sub arbore iacentem, Charthaginenses quidam mercatores, illuc appellentes, penè

mortuum

mortuum inuenerunt ; supra cuius pectus candida stabat columba, quam, nullo ipsius volatu, tanquam mansuetissimam potuerunt capere, eamque Vrbis Chartaginensis Gubernatori detulerunt. Agnouit ipsos vulneratus Pater, & de morte Alfonsi certiores fecit: & cum illum mouère niterentur, vt ad nauiculam portarent, in eorum manibus spiritum Deo reddidit. Eius corpus, Chartagine, solemni totius populi concursu, in Collegio RR. PP. Societatis Iesu depositum fuit, & postea ad Conuentum Sanctæ Crucis translatum. Michael vero, in alio oppido, scilicet Damachiel, milliarijs duodecim distanti, Apostolico detentus munere, eadem die, ab altà rupe præcipitatus, suæ prædicationis partes adimpleuit. Cuius corpus in mare proiectum inueniri non potuit. Sic animarum salus eos fecit veros esse germanos: vt enim Abbas Ioseph in collationibus Patrum inquit. *Hæc est vera fraternitas, quæ nullis vnquam casibus scinditur; sed nec mors ipsa diuellit.*

Collectos, in Europam redeundo, manipulos denique alligamus, Patris Thomæ de Sancta Maria (quē Crusenius in Monast. cap.48. part.3. per errorem vocat Augustinum à Matre Dei) in Scotia fructibus non respuendis. Hic enim natus in ipsa Scotiæ Sancti Andreæ Metropoli, vel non longe ab ea, Parentes Catholicos habuit Andream Burd, & Mariam Lindsayam, ex nobili familià Baronum de Lindsay oriundam: cumque ab eis, in pueritia, bonis moribus esset instructus, iam adolescens, profectus fuit in Hispaniam: vbi apud Regiam Curiam in domo cuiusdam Equitis Scoti Guillelmi Simplicij diuersatus meliora æmulans, ibidem in Conuentu nostræ Congregationis Augustinianum habitum induit. Facta professione, ab Eminentissimo postea Cardinali Dominico Gymnasio, tunc

Hi-

Hispaniarum Nuncio, cui intime charus, in Sacerdotis gradum fuit euectus. Deinde Romam venit, ac fauoribus, & gratijs fœl.record. Pauli V. munitus, Superiorumque obtentà licentià, hæresibus oppressam patriam adijt, vt ad antiquam, & Catholicam fidem, quos posset, ipse reduceret: anno 1609.

Vt istum adipisceretur finem, ibi ferè per decenniũ commoratus; non sine vitæ periculo, tanquam vtile salutis instrumentum, multas Catholicæ, ac Romanæ Ecclesiæ comparauit animas; & cum litteris non esset instructus: media oratione, sapientiam accepit à Patre luminum, qua Mundi superbiam, & scientiam confundebat. Catholicæ ardebat Religionis zelo: & vt animarum consuleret saluti, labores suscipiebat magnos. Pedester iter agebat, licet erat debilis, & semper aduersà valetudine: & ciuitates, ac castella peragrans, nunc Catholicos afflictos consolando, nunc dubios confirmando, nunc cadentes erigendo, maximo adiumento fuit.

Hæreticorum quorumdam laqueos, pudicitiam eius labefactare conantium, introductà mulierculà in cubiculum diuersorij, apud quod exceptus fuerat in itinere Scotiæ tendente in Angliam, omnium admiratione, vitauit: eo quod, brumali tempore, illis Regionibus asperrimo, à loco discessisset, intempestà nocte, cum magna niuium copia è cœlo delapsa esset, & montana omnia tegisset, præruptamque abscondisset viam, alijs etiam imminentibus periculis.

Consilijs abundabat saluberrimis: & ipsa tanquam oraculum sui pœnitentes verebantur. Maximopere fugit otium, & in primis, inter locupletiores Catholicos ad eleemosynas incubuit procurandas; vt postea

etiam inter Catholicos egenos distribueret: præsertim inter eos, qui carceribus detinebantur, quo in subsidio ferendo, omnes alios in Scotia Sacerdotes longè antecelluit. Vestitu, & victu parcissimo contentus fuit, & sub humili tecto ligna pro lecto habuit. Sæpe sub diu dormiebat, opertus duntaxat tenui chlamyde; quà se in illis Septentrionalibus Prouincijs exornauit; ne ab hæreticis nosceretur Magistratibus.

Si quempiam audiebat peierare; vel in Deum, aut Catholicam Religionem, blasphemare, acriter, sine timore, illum obiurgabat: quamobrem omnes Catholici mirabantur; quomodo ipse non incidisset in manus Magistratuum, cum toto eo tempore, quod in Scotia saluti animarum seruiendo impendit, maxima sæuiret in Catholicos omnes persecutio, & in Sacerdotes præcipuè diligens inquisitio. Denique cum in Belgium venisset, & in Hispaniam reuerteretur, vt bonam *Fratrum* manum, in Scotiam, secum, deferret, Auennione in Gallia, in Conuentu *RR. PP.* Minimorum, sanctè, & *R*eligiosè, prout vixerat, migrauit ex hac vita. De Thoma, Crusenius in Monast. honorificam mentionem facit: (licet proprium ignorarit nomen) affirmat enim audiuisse, eum, absque graui litteratura, introisse in potentias Domini: tantumque sua simplici profecisse pietate, vt frequentia, ac euidentia miracula patrarit: ac subsequenter narrat, quod nos etiam multis compertum esse cognouimus.

Erat, scilicet, in Portu *R*egineo, & phasellum ascendit, vt iret in Fortham. Contigit ergo, quod è traijcientibus vnus in mare decidit fortuito: & pelàgi oppressus vndis; quantum potuit, portitorum miser implorauit opem: ipsis vero difficile videbatur, sine periculo, ei subuenire; cum Thomas ad miserationem

com-

commotus (vt enim inquit Magnus Pater Augustinus Serm.42.de Verbis Domini. *Tanto quisque perfectus est, quanto perfectius sentit dolores alienos)* in mare vestitus se proiecit, illiusque fluctus calcans, iam penè immersum apprehendit, in nauiculamque incolumem, & saluum, asportauit. Tunc casum illum admirantes nautæ, varias super eum fecerunt coniecturas: dubitabant enim: quomodo ille non solum se ipsum, sed, & alium penè obrutum saluasset: & cum in terram descendissent, per totam Regionem, quod viderat, diuulgarunt; Thomam autem non potuerunt agnoscere, iam, vt honores fugeret, latentem: cumque à quodam Catholico viro de hac re Edimburgi interrogaretur, debita humilitate, quæ stabile virtutum fundamentum est. Deum totius rei authorem, & operatorem fuisse, qui ad illum miserum eripiendum è fluctibus impulerat, respondit. Illustrat reuerà Thomas suis virtutibus; non solum Conuentum Matritensem, cuius germen est, alijs fœlicem fructibus: sed totum etiam Excalceatorum agmen, cui exemplar factus præfulgidum, animarum zelo, & Regulæ collucet obseruantià: quam vtinam omnes, quibus competit, prout decet, insequamur.

Amen.

FINIS.

Hæc tua concrescat nimis omni tempore messis:
Vt fructus magnos reddere clara queas.
Amen.

ALIQVORVM

Testimonia, quibus nostrorum labor in Propaganda Fide commendatur.



LLVSTRISSIMVS D.D. Petrus de Arze Episcopus Zebuensis in epistola ad P. H*ieronymum de* R*esurrectione Congregationis Fratr. Excalc. Hisp. Vicarium Generalem primum, anno* 1644.

Patres Recollecti Ordinis S. P. N. Augustini in istis Insulis sunt bene occupati in animarum conuersione: multoque zelo adsunt eis in cœli viam inducendis. Cõuentus habent in Insula de Mindanao, & Calamianes, aliquosque in Insula, & ciuitate Manilensi, ac Zebuensi. Ipsis opus est, Reu. Paternitatem tuam neutiquam illorum obliuisci, sed mittere potius consodales, vt ipsis auxilientur: de quo Reuerendissima Paternitas tua à Deo præmium obtinebit. Maiorem partem Conuentuum, quos habent, complectitur hæc Zebuensis Diœcesis. Ego ipsis patrocinor, & faueo; quia sic eorum virtus, & bonum promeret exemplum.

I*dem in* E*pistola quadam alia ad* S*acram Congregationem de* P*ropaganda Fide. anno* 1627.

Aliquibus ab hinc annis, Patres Augustiniani Excalceati Congregationis Hispaniæ fecerunt, & faciũt magnum fructum in conuersione infidelium istarum Insularum: igitur præter alios Conuentus, quos in diuersis possident Ecclesijs, in mea solum Diœcesi plusquã decem habent, in quibus laborant in vinca Domini, ipsam magno exemplo, obseruantià, & sollicitudine, ex-

excolentes : & hoc in recentioribus, periculosioribusque locis, suarum Personarum maximo discrimine: nam Insulæ sunt gerentes bella. Non obstantibus vero periculis istis, ac laboribus, ad nostram sanctam fidem Catholicam maximum infidelium numerum tam adultorum, quam paruulorum, adduxerunt: & speramus in Domino, quod tempore futuro, ob curam, & diligentiam sanctorum horum Religiosorum maiores progressus in conuersione infidelium euenturos: præcipuè in quadam Insula, vbi habent sua Ministeria; nam vna ex maioribus est harum Regionum.

Ipse illustrissimus Dominus Episcopus, (cui reuera nostra Excalceatorum Congregatio arctissimis beneficiorum vinculis adstrictam se fatetur; non solum ob claram amoris & deuotionis in ipsam, experientiam, sed etiam propter nostrorum Fratrum electionem, vt in Prouincijs Caraghæ, & Butuani sacrosanctum prædicarent Euangelium: ex quibus missionibus Ecclesiæ Catholicæ, quam plurimi filij nati fuerunt, nostræque Reformationi non minimæ spiritualis lætitiæ, gloriæque prouentus aduenerunt; in altera epistola anno 1628. ad ipsam Sacram Congregationem de Propaganda Fide asserit.

Religiosi Excalceati Ordinis S. P. N. Augustini, à tempore, quo in Insulas istas aduenerunt (id multorũ annorũ est) laborauerũt valde, & bono exemplo, in prædicatione sancti Euangelij: magnumque fecerunt fructum animarum. Habent Conuentus multos fundatos in Insulis: quapropter ab Illustrissimis vestris honorari debent, & faueri, vt Sanctitas sua, tanquam Dominus, & Pater concedat ipsis gratias, & fauores: Vt exinde animentur ad tam bene incœpta peragenda.

Illustrissimus Dominus D. Ferdinandus Guerrero Episcopus nouæ Segouiæ siue Caghaianensis in epist ad eamdem

dem Sacram Congregationem de Propaganda Fide anno 1631. ait.

Religiosi Augustiniani Excalceati, qui assistunt in his Philippinis Insulis, faciunt vbique magnos fructus in conuersione animarum huius gentilismi, veluti fecerunt in Japponiæ Regno: vbi duobus ab hinc elapsis annis, ex ipsis sex Religiosi professi occisi fuerunt igne, & gladio, propter prædicationem Euangelij, & animarum conuersionem: præter alias septuaginta Personas, quæ in ipso Regno etiam eamdem mortem pertulerunt, ob retinendam fidem, quam per ministerium duorum Religiosorum Hispanorum ipsius Instituti, qui illic eam prædicarunt, tunc acceperant: isti etiam propter eamdem causam iacent nunc in vinculis, & vt creditur, in igne, aut aliter, iam mortem passi erunt.

Idem Illustrissimus D. iam Archiepiscopus Manilensis in epistola alia anno 1632. ad ipsam Sacram Congregationem, inquit.

Religiosi Augustiniani Excalceati degentes in his Insulis Philippinis, maximum in ipsis fructum faciunt in animarum conuersione; & non minus noti sunt progressus, quos in Regnis Japponiæ habet Christianismus per prædicationem eorum, & doctrinam: vbi anno 1629. & 30. sex Religiosi ipsius instituti martyrium passi fuerunt, cum multis alijs, Tertiarijs, Mantellatis, & Confratribus Corrigiæ S. P. N. Aug. omnibus ad fidem reductis, & edoctis ab ipsis Excalceatis Religiosis, qui sunt in illis partibus: nuncque iuxta nuntia, quæ accepimus, duo ipsorum exquisitiora tormenta illis, quæ imaginari possunt, patiuntur, post duos annos durissimæ incarcerationis. Perferunt etiam in Ministerijs, & Conuentibus, quos habent in his Insulis incommoda maxima, & labores: cum incolæ, quibus fidem

fidem administrant magis effrænes, ferociores quę sint omnibus, qui in hoc Archipelago noscuntur, sicuti experientia docuit, anno elapso, quo ipsi incolæ quatuor Religiosos occiderunt: quorum mors, & euidens vitæ periculum, cœteros non terruit; itaque alij Ministri adire non cessarunt.

Supracitatus Illustrissimus D. Petrus de Arze Episcopus Zebuensis in alia Epistola anno 1632. ad eamdem Sacram Congregationem ait.

Patres Recollecti Ordinis S.P.N. August. Philippinarum istarum Insularum excolunt fideliter, maximo exemplo, vineam Domini, & eius prædicant sanctum Euangelium, multo labore, periculoque vitæ: cum gentes, quas instruunt, sint ita summè asperæ, & feroces, vt anno elapso occiderint quatuor Religiosos, sed non ideo timuerunt cæteri, vt nouos Ministros mittere reliquerint, ad fructum, quem faciunt illis animabus, conseruandum: propter spem, quam habent, quod per suam doctrinam omnes ad veram cognitionem reducendæ erunt. Profectum etiam multum fecerunt in Iapponia, sicuti visum est: igitur propter prædicationem Religiosorum, qui ex hac Religione sunt in illis Regnis, magnus gentilium numerus deserens errores nostram sanctam Fidem amplexus est: pro cuius confessione, sex Religiosi eiusdem instituti, associati multis, martyrium passi fuerũt, postquam habitum Mantellatorum, Tertiariorum ve Religionis eiusdem acceperunt, & Confratres alij Centurati &c.

Dominicus de Argos, Chartagine noui Orbis, primus Inquisitor in Epist. anno 1631. *ad Vrbanum* VIII. *fæl. record. hoc affirmat.*

Patres Excalceati Sancti Augustini adfuerunt, & adsunt reductioni Indorum de Vrabà, & contermi-

nis

dem Sacram Congregationem de Propaganda Fide anno 1631. ait.

Religiosi Augustiniani Excalceati, qui assistunt in his Philippinis Insulis, faciunt vbique magnos fructus in conuersione animarum huius gentilismi, veluti fecerunt in Japponiæ Regno, vbi duobus ab hinc elapsis annis, ex ipsis sex Religiosi professi occisi fuerunt igne, & gladio, propter prædicationem Euangelij, & animarum conuersionem: præter alias septuaginta Personas, quæ in ipso Regno etiam eamdem mortem pertulerunt, ob retinendam fidem, quam per ministerium duorum Religiosorum Hispanorum ipsius Instituti, qui illic eam prædicarunt, tunc acceperant: isti etiam propter eamdem causam iacent nunc in vinculis, & vt creditur, in igne, aut aliter, iam mortem passi erunt.

Idem Illustrissimus D. iam Archiepiscopus Manilensis in epistola alia anno 1632. ad ipsam Sacram Congregationem, inquit.

Religiosi Augustiniani Excalceati degentes in his Insulis Philippinis, maximum in ipsis fructum faciunt in animarum conuersione; & non minus noti sunt progressus, quos in Regnis Japponiæ habet Christianismus per prædicationem eorum, & doctrinam; vbi anno 1629. & 30. sex Religiosi ipsius instituti martyrium passi fuerunt, cum multis alijs, Tertiarijs, Mantellatis ue, & Confratribus Corrigiæ S. P. N. Aug. omnibus ad fidem reductis, & edoctis ab ipsis Excalceatis Religiosis, qui sunt in illis partibus; nuncque iuxta nuntia, quæ accepimus, duo ipsorum exquisitiora tormenta illis, quæ imaginari possunt, patiuntur, post duos annos durissimæ incarcerationis. Perferunt etiam in Ministerijs, & Conuentibus, quos habent in his Insulis incommoda maxima, & labores: cum incolæ, quibus

fidem

fidem administrant magis effrænes, ferociores quę sint omnibus, qui in hoc Archipelago noscuntur, sicuti experientia docuit, anno elapso, quo ipsi incolæ quatuor Religiosos occiderunt: quorum mors, & euidens vitæ periculum, cæteros non terruit; itaque alij Ministri adire non cessarunt.

Supracitatus Illustrissimus D. Petrus de Arze Episcopus Zebuensis in alia Epistola anno 1632. ad eamdem Sacram Congregationem ait.

Patres Recollecti Ordinis S.P.N. August. Philippinarum istarum Insularum excolunt fideliter, maximo exemplo, vineam Domini, & eius prædicant sanctum Euangelium, multo labore, periculoque vitæ: cum gentes, quas instruunt, sint ita summè asperæ, & feroces, vt anno elapso occiderint quatuor Religiosos, sed non ideo timuerunt cæteri, vt nouos Ministros mittere reliquerint, ad fructum, quem faciunt illis animabus, conseruandum: propter spem, quam habent, quod per suam doctrinam omnes ad veram cognitionem reducendæ erunt. Profectum etiam multum fecerunt in Iapponia, sicuti visum est: igitur propter prædicationem Religiosorum, qui ex hac Religione sunt in illis Regnis, magnus gentilium numerus deserens errores nostram sanctam Fidem amplexus est: pro cuius confessione, sex Religiosi eiusdem instituti, associati multis, martyrium passi fuerũt, postquam habitum Mantellatorum, Tertiariorum ve Religionis eiusdem acceperunt, & Confratres alij Centurati &c.

Dominicus de Argos, Chartagine noui Orbis, primus Inquisitor in Epist. anno 1631. ad Vrbanum VIII. fæl. record. hoc affirmat.

Patres Excalceati Sancti Augustini adfuerunt, & adsunt reductioni Indorum de Vrabà, & contermi-

nis

nis Prouincijs virtute maximâ, & exemplo: fecerunt, & faciunt fructum maximum in illarum gentium animabus: seruitio Dei, & Sanctitatis vestræ, multos perferunt labores. Fidem facio optimos esse Religiosos, quorum virtutem notam habeo, &c.

Insignis vir ille pietate, & scientia, M. Thomas de Herrera, immortali memoria dignus (à nobis, propter eximium Augustiniani Ordinis zelum, & quam plurimas, ac ingenuas animi virtutes, humili, filiali que amore, veneratus) qui maxima totius Eremitanæ familiæ iactura, Vinarozij, discessit e viuis: dum Serenifs. D. Ioannis ab Austria munere Confessarij fungeretur; & paulo ante, Authoritate Apostolica, in Assistentem Generalem electus, eum honorem, quo, & multis alijs, propter ingentia merita, debebat exornari, modestè renuisset; in suo inquit florentissimo Alphabeto fol. 181.*tom.*1.

Hi Patres anno 1605. Fidei Catholicæ zelo accensi, & salutem animarum anhelantes, in remotas illius Orbis partes, licet horâ vndecimâ, non segniter laboraturi, transfretarunt.

*Et infra Tom.*2.*fol.*127.

Patres Excalceati Hispaniæ, anno 1605. ad remotas illas Insulas, zelo salutis animarum accensi, & quandoque sanguine suo in Regnis Iapponiæ Ecclesiam, vel plantaturi, vel eius tentoria dilataturi, transfretarunt.

Et inferius fol. 485. *ibidem.*

Congregatio Excalceatorum Hispaniæ circa annum 1588. quæ etiam extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad Insulas Philippinas, dilatatis colonijs, operarios misit, qui Iapponijs Euangelium prædicarent, & proprio sanguine pulcherrimè cruentati, Ecclesiam in varijs Regionibus, vel plantauerunt, vel rigaue-

gauerunt, & gloriosorum martyrum copioso numero, Ordinem Augustinianum illustrarunt.

M. Sebastianus Manrrique in Itinerario suarum missionum cap.43. agens de Insulis Philippinis, ait.

Sunt etiam duæ Prouinciæ nostrorum Excalceatorũ, qui in Hispania, illisque regionibus, Recollecti S. Augustini communiter dicuntur. Hi Religiosi in principio ingressus sui in illas Insulas, aliquibus annis, subditi nostris Prioribus Prouincialibus mansuerunt; & non obstante, quod hi serui Dei fuerunt vltimi, qui ad eas regiones peruenerunt, vt excolerent vineam Domini, attamen maximum fructum collegerunt, aliquas Insulas nationum indomitarum adeuntes, in quibus audita vox veri Pastoris nondum erat: quam tanto fructu promulgarunt, vt Barbarorum magna multitudine reducta, aliqui à Deo obtinere meruerint laureolas gloriosas, palmas ve martyrij, quibus conuersos ad fidem confirmando, alios etiam eiusdem Recollectionis Augustinianæ Religiosos ad eorum sectanda vestigia excitauerunt, sic in Iapponia, sicut in Regionibus alijs illius magni Orbis.

Coronat totum opus istud nobilissimi, ac fidelissimi Senatus, Populique Manilensis ad Catholicum Regem Epistola quadam anno 1648. sic expressa.

Diuersis temporibus Ciuitas ista Manilensis rationẽ dedit Maiestati vestræ, qãutum commodum afferat his Insulis Religio Recollectorũ Discalceatorum Ordinis Dñi S. Augustini, & de Apostolicis viris, qui in ea sunt: ac de magno fructu, quem faciunt cum prædicatione Sancti Euangelij: & de singulari virtutum documento, quod proposuerunt semper, & proponunt, sua strictâ, & Religiosâ vitâ, ac modo tam arcto obser-

uandi suas Constitutiones: & de effectibus tam considerabilibus, qui per eorum manus sunt obtenti, quo ad seruitium Dei, & Maiestatis Vestræ præbentis auxilium armis suis, in magno numero infidelium, quem conuerterunt ad nostram Sanctam Fidem Catholicam: & reduxerunt: vt debitum obsequium reddant Maiestati Vestræ, & tributum, quod frequenter soluerunt, & soluunt annuatim: in quibus omnibus posuerunt, & ponunt totum affectum spiritualem, qui ad eorum professionem attinet, cum singulari vigilantiâ, ita in conseruatione sui laboris, sicuti in continuo desiderio (licet centum mille incommodis, quæ perferunt) augendi inceptum opus, conuertendo de nouo alias animas ad seruitium Dei, & obedientiam Maiestatis Vestræ. Insuper de magna concordia, & quiete, quam inter se conseruant. Vnde semper fuit, & est vna ex Religionibus magis acceptis, & bene receptis in his Insulis: cum sit pauperior: habendo omnia sua Ministeria in partibus remotis, ab hac Vrbe multum dissitis, & habitatis à gente, omnium, quæ sunt in omnibus Prouincijs harum Insularum bellicosissimâ: cùm sit nouiter reducta: quapropter suæ vitæ subiacent periculo: vt effectu probatum est, cum defecerunt, qui pacifici se se demonstrabant: alijs etiam vita spoliatis ab eis, qui nunquam tales esse declarauerant: dum ipsis Sanctum Euangelium prædicabant: absque multis alijs, qui martyrium in Iapponia passi sunt: his magnis actibus ditantes Ecclesiam Dei, & coronam Maiestatis Vestræ; ac quod maius est nullis redditibus, nisi fidelium eleemosynis.

Et paulo inferius.

Maiestati Vestræ supplicat hæc Ciuitas, quod dignetur concedere licentiam dictæ Religioni, vt isthinc pos-

possint venire in istas Insulas Religiosi in numero placito Vestræ Maiestati in consideratione, quod ipsis multum opus est in Ministerijs maximè distantibus, quæ habent: vbi propter paruam substantiam ciborum, quibus vtuntur ad vitam humanam transigendam, tractantes se sicut verè pauperes, magnà abstinentià, quam obseruant (paruipensis quibuscumque incommodis temporis, Solis, aut pluuiæ, per horridos montes, & rupes inexpugnabiles, ad reducendum summã millium animarum, quæ sunt in illis partibus, ad nostram Sanctam Fidem Catholicam, non habentes lucẽ aliquam ipsius) mortui sunt plures; maximè in hoc anno, quo numerum excesserunt duodenarium: cum iam sint aliqui anni, quibus consodales non veniunt in hanc vineam Domini, & ad augmentum Regiæ Coronæ Maiestatis Vestræ.



PROTESTATIO
SECVNDA.

LECTOR aduerte in Elogijs virorum illustrium, quos hoc Libro complexus sum, nõnulla me obiter attingere, quæ sanctitatem videantur adscribere, perstringo nõnunquã aliqua ab ijs gesta, quæ cum vires humanas superent, miracula videri possunt: præsagia futurorum, arcanorum manifestationes, reuelationes, illustrationes, & si quæ sunt alia huiusmodi: beneficia item in miseros mortales eorum intercessione diuinitus; demum nonnullis Sanctimoniæ, vel Martyrij videor appellatione tribuere. Verum hæc omnia, ita meis lectoribus propono; vt nolim ab illis accipi, tanquam ab Apostolicâ Sede examinata, atque approbata: sed tanquam, quæ à sola suorum Authorum fide pondus obtineant: atque adeo non aliter, quam humanam historiam. Proinde Apostolicum S. Congregationis S. R. & vniuersalis Inquisitionis Decretum. Anno 1625. editum, & anno 1634. confirmatum, integrè, atque inuiolatè, iuxtà declarationem eiusdem Decreti à fœl. recordat. Vrbano Papa VIII. anno 1631 factam, seruari à me omnes intelligant: nec velle me, vel cultum, aut venerationem aliquam, per has meas narrationes, vlli arrogare, vel famam, & opinionẽ sanctitatis, aut martyrij inducere, seu augere: nec quicquam eius existimationi adiungere; nullũque gradum facere ad futuram aliquando vllius Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem: sed omnia in eo statu à me relinqui, quem seclusa hac mea lucu-

lucubratione, obtinerent, non obstante quocumque longissimi temporis cursu. Hoc tam sanctè profiteor, quam decet eum, qui Sanctæ Sedis Apostolicæ obedientissimus haberi filius cupit, & ab ea, in omni sua inscriptione, & actione, dirigi.

Ego Fr. Andreas de S. *Nicolao*.





Errores emendandi sunt huiusmodi.

Fol 6.Ruerendam. l.Reuerendam. fol.19.Salmaticẽsis.l.Salmanticẽsis fol.22. Fiziuano. l. Fiuizano. fol.31. demonstraret. l.demonstrarent. fol.35. proprius. l.propius. fol.40.metns. l.metus. fol.43.aut aut.l.aut fol. 56.luxis.l.laxis.fol.64.fiticulosa.l.sitieulosa.fol.89.eiusdm.l.eiusdẽ fol.101.buc.l.huc. fol.115.arpersis. l. aspersis. fol. 122. obscissione. l.abscissione. fol.123.Psal.61.l.Psalm.61.dicere.fol.123.codem.l.eodẽ fol.124.quadraginra.l.quadraginta. fol.128.ad.l.de.fol.129.Malinensi l Manilensi. fol.146.Pœonitentia. l. Pœnitentia. fol. 157.dogmatæ. l.dogmata. fol 179.fulgoribus.l.fulguribus. fol.182.Pioris. l.Prioris. fol.185.focjs.l.focijs fol.190.Magnutũ.l.Magnatum.fol.192.ipsi.l.ipsis fol.202.incidisse.l.incidisset. fol.204.Zebuensis.l.Zebuensis.



